







GEORGII FLOR. HENR.
BRÜNING,

PHILOS. & MED. DOCT. COM. PALAT. CAES. SER. PRINC. REGN. HOHENL. WALD. & SCHILL. CONSIL. AUL. & ARCHIAT. SER. & JLL. CAP. ESSEND. MED. ADI. URB. JMP. ESSEND PHYS. ALT. ACAD. CÆS. NAT. CUR. COLL.

TRACTATUS
de
JCTERO SPASMODICO JNFANTUM

Essendiae anno 1772 epidemico
acceſſit hiſtoria
Icteri Periodici Lethalis



Veſaliæ et Lipſiæ

apud F. I. Rœder. et I. S. Heinſium 1773


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO

ILLUSTRI

DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMO


CHRISTIANO RUDOLPHO

HANNES

MEDICINÆ DOCTORI, PHYSICO VESALIENSI, ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATURÆ CURIOSORUM, NEC NON SOCIETATIS SCIENTIARUM PRINCIPALIS HASSIACÆ, QUAE GIESSÆ FLORET, MEMBRO DIGNISSIMO.

S. P. D.

G. F. H. BRÜNING.



Quem Machaoniæ artis pro-

 moto-

motorem indefeſſum, operatricis naturæ in morbis exploratorem gnavum, ſimulque amicum optatiſſimum colo, VIR CLARISSIME, COLLEGA PERDILECTE!

TIBI jam ſacra ſunto, quæ de Morbi Arquati ſpecie hac ſingulari ſpasmodica impræſentiarum differere mecum conſtitui. Diu jam eſt, quod publicum aliquod mei erga TE amoris exhibendum ſpecimen fui meditatus. Anſam præſentis dediſti IPSE.

Venit ad manus, quem *de inſitione variolarum in urbe patria Veſalienſi tentata*,

tata nuper edideras, pulcherrimus tra-
ctatus, Jllustrissimo Academiæ Jmperialis
Naturæ Curiosorum Præsidi, meritissimo
BAIERO adscriptus, observationibus per-
quam utilibus, varioque eruditionis ap-
paratu insignis. Jnserueras huic meam
de reditu variolarum verarum senten-
tiam, politam minus, quam quæ pu-
blico operi, cui destinata non erat, in-
seri meruisset. Jngratum ergo nec TIBI
nec Lectori futurum, arbitror, si, quid
in genere de variolis, earum insitione,
iisque medendi methodo sentiam, hic

præfationis loco exſequar.

Arduam, Amice! ſuſcepiſti exornandam ſpartam, vexatiſſimum denuo thema ventilans, quod a pluribus jam retro annis per totum literatum orbem Eridos quaſi pomum fuit, in quo vel defendendo, vel impugnando, a Wolga ad Thameſin, ab Helleſponto ad Balticum mare, a Roma ad Canadam usque nullus fere alicujus famæ Medicus non deſudavit, absque quod in hunc usque diem evictum ab alterutra parte ſit, utrum ex hoc Circaſſiæ dono redunda-

verit

werit in humanum genus vel damnum vel utilitas.

Steterunt a partibus insitionis Medici illustres, *De Beaux*, *Bernouilli*, *Berzi*, *Blandfort*, *Brooke*, *Brown*, *Burges*, *Butini*, *le Cat*, *Camper*, *Chastellux*, *de la Condamine*, *David*, *Dimsdale*, *Dodart*, *Gatti*, *Gilchrist*, *Harris*, *Hadow*, *Hensler*, *Hosty*, *Kirkpatrik*, *des Landes*, *Lobb*, *Locher*, *Mead*, *Maty*, *Monro*, *Morisson*, *Pajon des Moncets*, *Pizzorno*, *Pouteau*, *Ramby*, *Razoux*, *Rosenstein*, *Roux*, *Schinz*, *Sutton*, *Tar-*

gioni Tozzetti, *Tiſſot*, *Trulles*, *Tronchin*, *Vernage*, &c. &c. Jntegra cohors!

Jmpugnarunt illam ex Medicis viri non minus celebres: *Aſtruc*, *Baron*, *Bianchi*, *Eques St. Michaelis Bouvart*, *Ierome Carné*, *l' Epine*, *Eſchenbach*, *de Haen*, *Comes de Lauraguais*, *le Hoc*, *Marquart*, *Verdelhan des Moles*, *d' Origny*, *Planci*, *Paulet*, *Raſt junior*, *Comes Roncalli Parolino*, *Santivali*, *Timony*, *Zanetti*, multique præter hos alii, quorum ſcripta vidiſſe non obtigit.

Ne-

Neque inter Medicos solum reciprocata hæc contentionis serra est: Theologi quoque, Philosophi, Politici, Cameralistæ, infimaque tandem insectorum scribacium turba, pro varia quam profitebantur scientia, vario ingenii modulo, varia eventuum sibi cognitorum fortuna, vario erga operatorem quendam speciali vel amore vel odio, subinde quoque vel ex sola disputandi petulantia, in varias partes ita diripiebantur, ut ab una parte tanquam optatissimum ex divina misericordia humano generi

largitum donum inoculationem variolarum deprædicarent; ab altera vero, totum hoc negotium tanquam illicitum, religioni chriſtianæ adverſum, et reipublicæ manifeſto noxium damnarent, auxilia ab exteris peterent, ſubſidia denique Regum et Magiſtratuum implorarent, ad ſuffocandam in cunabulis ſuis nefandam hanc præſentis et futuri ſæculi certiſſimam peſtem.

Forte facilius erit, ferre in re tam controverſa judicium, ſi de quæſtionibus ſubnexis prius convenerimus.

Dis-

Disputatur I. An re vera variolæ naturales per se adeo lethiferæ sint, ut secundum computa nonnullorum a benignis sextus vel septimus; a malignis vero quartus ordinario pereat?

II. An variola morbus sit absolute necessarius, sic ut nemo mortalium ab illo immunis manere possit?

III. An, qui semel variolis veris laboraverunt, eodem hoc morbo corripi denuo possint?

IV. An reapse ex insititiis variolis pauciores per se moriantur, quam ex naturalibus, et cur?

V An

V. An simul cum veneno varioloso alius quoque morbus corpori sano communicari possit?

VI. An post inventam et in usum vocatam insitionem pauciores a variolis mortui sint, quam ante detectam hanc artem?

Sed quis Gordium hunc nodum solvet? Pernegat hic, quod ungue et rostro defendit alter. Provocat uterque ad experientiam quotidianam, ad capta toties experimenta, ad ipsam rationem sanam. Et quis contradicere rationi audebit

bit emuncti nasi homo? Tentandum, quid ferant humeri.

Quæritur primo: *suntne variolæ naturales per se adeo periculosæ, ut quartus, quintus, vel septimus ad minimum ex illis pereat?* — Resp. Certum omnino est, variolas naturales, si corpora invadant talia, qualia ad insitionem eligi solent, sana, mollia, juvenilia, methodoque legitima, rationali tractentur, æque parum alere periculi, quam insititias. Notavit hoc passim in *Rationibus suis medendi Cl. Haenius*. Asseruit idem

illu-

illustrissimus L. B. *Swietenius* in datis ad Facultatem Medicam Parisinam literis. Jpse *Gatti*, magnus ille et felix inoculator, in Tractatu suo, cui titulus *Reflexions sur les prejugés, qui s' opposent au progrés et á lá perfection de l' Inoculation*, largitur sponte, maximam par-
„tem eorum, qui variolis veris natura-
„libus occumbunt, opprimi sola Medi-
„corum culpa; nunquam enim tantam
„cladem variolas in tabernis rusticis ede
„re, quam inter nobiliores, qui med[illegible]
„corum præceptis adstricti sunt„ J[illegible]

c[illegible]

confirmant capta in nosocomio *Sti Cyr* experimenta; ubi ex centum et duobus ægris, qui ex variolis naturalibus ibi decubuerunt, occubuit non nisi unus. Taceo meam, cujus in *Constitutione Epidemica Essendiensi* memini de variolis naturalibus, licet epidemicis, experientiam.

Alia omnino ratio est, si ab aëris acatastasia peregrina quædam morbo huic naturaliter benigno accedat malignitas; vel si miasma variolosum corpus fortuito occupet, succis impuris, corruptis, scatens. Quin et clima ipsum

ad malignitatem hujus morbi non exiguum punctum ferre observatis constat.

Quæstionem alteram: *an sint re vera homines, qui a variolis naturalibus per totum vitæ decursum immunes maneant?* experientia quotidiana affirmare omnino jubet. Morbus certo respectu hæreditarius variola est; quamquam per contagium generaliter communicetur. Sunt familiæ, in quibus effræna malignitate furere solent variolæ. Sunt aliæ, in quibus per plures generationes benignissimæ esse consueverunt. Sunt denique,

que, in quibus perpauci variolis corripiuntur. Mihi ipsi cognita exempla sunt hominum, ad seram usque senectutem nullis unquam variolis vexatorum, quorum liberi et nepotes, dum hæc scribo, ab eodem hoc morbo manserunt intacti. Plures præterea et in ipsa hac urbe novi, qui, quamquam sæpius adfuerint variolosis, quamquam tractaverint curaverintque noctu diuque variolosos, quinimo cum ipsis cubuerint, nunquam tamen hunc morbum exinde lucrati sunt.

Quæritur tertio: *Recurruntne variolæ*

veræ? Reſp. Sunt qui affirment; quinimo inter ipſos inſitionis patronos. Exempla variolarum recidivantium paſſim exhibuit cl. *Haenius*. *Boerhaavius* et *Sydenhamus* ſecundæ; *Williſius* tertiæ infectionis meminit. Citat exemplum nutricis cujusdam *Sam. Dwight*, quæ poſt ſuperatum bis varioloſum morbum tertia vice ex confluentibus obierit. Dedit inſuper variolarum ſecundariarum caſus cl. *Marquart*. Celebris quoque *Gatti* illuſtrisque *Tiſſot* redire quidem, ſed admodum raro variolas veras concedunt.

Con-

Conferri huc quoque poterunt *Robert* Recherches ſur la nature de l' Jnoculation, *Candide* ſ. *le Hoc* l' *Avis* ſur l' inoculation, *le Cat* lettre a Mſr. *Pouteau*, *Beer* Diſſert. de exſtirpatione variolarum ſub præſidio *Krauſii*, *Raſt* Reflexions ſur l' inoculation de la petite verole et ſur les moyens qu'on pourroit employer pour delivrer l' Europe de cette maladie, *Timony*, Medici Conſtantinopolitani, Diſſ. de inoculatione variolarum, *Paulet* Hiſtoire de la petite verole, nec non *Eſchenbach* Obſervat. anatomi.

tom. chirurg. medic. rariores &c. Omnes autem hi locis citatis recenſiti caſus manifeſta laborant circa genium variolarum deſcriptarum incertitudine. Quas *Boerhaavius* et *Williſius* notant, recurrentes variolas, uterque præſens non vidit, quum prima vice hoc morbo decumberent ægri. Celebrem illam hiſtoriam juvenis illius Rhemenſis *De la tour*, in vituperium artis inſitoriæ toties recoctam, variolis naturalibus poſt artificiales inſitas affecti, refutavit in Diariis Medicis (Journal de Medecine)

el. *Van der Monde*: Hic enim rei novitate motus, ut percontari coram omnia exacte posset, una cum collegis suis D. D. *Vernage*, *Fournier*, utroque *Petit*, et *St. Martin*, ægrum hunc adiit videruntque omnes, spuriis eum laborare variolis, aquosis, quarum nonnullæ pure laudabili plenæ imperitum et medicum vulgum fefellerant. Ad hanc variolarum classem referendæ omnino erunt et illæ, quas in se ipso expertus est *Behrens*, quarum nob. *Folzadry* meminit, quasque vel septies ægrum

eundem invaſiſſe viderunt *Borellus* et *Philippus de Violante*. Eadem hæc ratio videtur fuiſſe variolarum primarum, inſititiarum, virginis illius Florentinæ, cujus cl *Haenius* in Rat. Med. T. IX. mentionem fecit, de quarum genuina indole non immerito jam dubitaverat *clar. Collin*; illarum denique, quarum hiſtoriam ex communicatione *Hartmanni* idem *Haenius* refert. Quam *Lœberus* in Diſſertatione ſua epiſtolari de reditu variolarum venditat, hiſtoria, ejusdem omnino commatis eſt; facta enim jam hora

cente-

centeſima ſecunda poſt inſitionem variolarum eruptio manifeſtiſſime ſpuriam deſignat earundem naturam. Hinc eſt, quod *Bernouilli*, *Condamine*, *Mangetti*, *Monro*, *Razoux*, *Roſenſtein*, aliique in arte Pæonia verſati viri, variolas veras nunquam recurrere ſtatuant; et quidem jure.

Vertitur totius rei cardo in hoc, ut probe diſtinguantur a variolis ſpuriis veræ. Differunt inter ſe, qui de variolis ex profeſſo egerunt Auctores, quoad ſigna earundem diagnoſtica, vanaque inveni, ſaltem inſufficientia, plurima illa, ex

quibus veras a ſpuriis dignoſcere huc usque docebamur, criteria.

Pure vero, cocto, blando, impleri tertio poſt efflorescentiam plenariam die, variolis quidem veris ſolenne eſt: Aſt ſpuriæ quoque aquoſæ veſiculas elevant, lympha ſubinde vappida, ſubinde acri plenas, quæ tamen in corporibus robuſtis, maxime ſub corticis febrifugi uſu, in verum, blandum, coctumque pus ſub regimine conveniente facile mutetur; ipſæque hæ puſtulæ ſpuriæ, ſi eousque loco ſuo inhæreant, ut acre-

ſcere

ſcere pus collectum, ſolvi in liquamen putridum, cutemque ſubjectam arrodere poſſit, cicatrices poſt ſe relinquunt, ſæpe fœdas. Confer hic cl. *Medici* epiſtolam ad cl. *Wolter* de poſſibili variolarum extirpatione, vernacula lingua ſcriptam, nec non obſervationes cl. Caluri, quas de cicatricibus a variolis ſpuriis progenitis in Acta Senenſia inſeruit Tom. I. a 1760. Deſumtum hoc a variolis ſpuriis pus, ſui generis morbum producit varioloſum, ſpurium, ſi per inſitionem corpori ſano communicetur, eo-

dem modo, uti ab ichoribus, venerea lue, scabie, pariles morbos per pus vel ichorem transplantari quotidie videmus.

Corruit sic alterum illud variolarum verarum diagnosticon signum, a cl. *Vernage* datum: quod nempe desumtum a variolis spuriis pus, si alio corpori inferatur, nullas unquam producere pustulas variolosas aptum sit. Contrarium permulta probant, in ægrotorum non leve damnum facta experimenta. Sic cl. *Wriesberg* in Dissertatione sua inaugurali, quam 1765 Gœttingæ habuit, exem-

exemplum refert quinque infantum, qui anno 1758 a celebri *Rœderero* inoculati, quinquennio post veris demum variolis decubuerunt. Demonstrat hic ex primi morbi phænomenis Auctor, spurias solum ab insitione natas fuisse variolas. Similes casus paginæ antecedentes jam sistunt.

Nihilo tamen secius medici Londinenses hanc cl. *Vernage* de variolarum spuriarum natura sententiam adoptasse videntur: Dum enim in *Transactionibus suis vol.* 1, *art* 25 rationes illas explicare nituntur, cur ab insitione inter-

dum

dum nullæ excitentur variolæ? quum tamen ſæpe breve poſt eadem ſubjecta per contagium naturale in morbum hunc incidant, ad hanc *Vernagii* opinionem refugiunt, ſteriles ideo fuiſſe inoculationes hujusmodi, aſſerentes, quia a variolis ſpuriis ad inſitionem deſumtum pus fuerit. Probabiliorem circa hoc phænomenon ſententiam proferunt cl. *le Cat* et *Pouteau*. Neque et eruptionis tempus infallibilem præbet variolarum verarum, naturalium, diagnoſin. Tardius ſæpe eſſlorescunt, vel propter adhibitam

me-

medendi rationem, vel propter naturæ imbecillitatem, ſpuriæ; quum ſub regimine calido, naturæ præcipitantia, aut veneni varioloſi malignitate, veræ erumpant citius.

Unicum mihi variolarum verarum, ab omni contagio futuro certe emancipantium, ſignum illud eſt, ut, accedentibus ſimul reliquis variolarum genuinarum imperfectis licet ſignis, ab earundem eruptione, tempore durationis, morbi ipſius decurſu, variolarum odore et habitu externo, puris natura, ſtatuve epidemico deſumtis, per uni-

ver-

versum corpus sibi similes ubiquaque appareant pustulæ, nullæque intermixtæ sint ex aquosarum vel acuminatarum spuriarum classe. Spurias enim veris in uno eodemque corpore eodem tempore interspersas vidi nunquam.

Notandum in genere circa variolarum recidivas:

I. Recurrere omnino posse variolas spurias easdem.

II. Succedere sibi posse diversas spuriarum species

III. Non ergo liberare spurias a spuriis.

IV.

IV. Non liberare ſpurias variolas a veris.

V. Non liberare veras a ſpuriis.

VI. Veras autem variolas a veris emancipare ſemper.

Non minus anceps eſt quarta, quæ ventilatur quæſtio: *An ex variolis inſititiis pauciores moriantur, quam a naturalibus?* Reſp. Mori revera ex inoculatis unum et alterum, res eſt extra omnem dubitationis aleam poſita. Septuageſimus ex inoculatis in Scotia communiter moritur, referente *Monro*, qui alio loco ex 5626 inoculatis 72 periiſſe notat.

Nona-

Nonagesimus nonus ex iis, quibus in Corsica a cl. *Stephano* variolæ per insitionem communicatæ fuerant, occubuit; idque tempore adeo malignæ ibi epidemiæ, ut solum in viciniis Curtae, quae mille trecentas ad summum familias capit, intra brevissimum temporis spatium 337 infantes a variolis naturalibus occubuerint. Centesimum trigesimum ex insitis obire vidit *Brocklesby*. Feliciori adhuc cum successu variolas inoculavit *Sutherland*; hic enim a sexcentis, in quibus variolas arte excitavit, uni-

cum

eum modo desideravit. Cl. *Blandfort* ex quadringentis a se inoculatis, vix unum, proprie a variolis enectum, gloriatur. Neque minus felix fuit insitionis, Nemausii tentatæ, successus. Ex omnibus enim ibi insitis, teste *Razoux* in epistola ad Dn. *Belletete*, interiit omnino nullus; pariter omnes quoque illi, qui anno 1750 Genevæ variolis artificialibus decubuerunt, sanitati redditi sunt, notante *Maty*.

Omnibus his si conferantur necrologiæ illorum, qui a variolis naturalibus exstingui solent, ingens profecto emer-

git differentia. Nonum vel decimum a variolis naturalibus in Suecia mori ſcribit ill. *Roſenſtein.* Tertium vel quartum in exercitu Britannico, variolis ſpontaneis correptum, opprimi communiter, obſervavit laudatus ſæpe jam *Brocklesby*; calculumque tam ex artificialibus quam ex naturalibus demortuorum, inſitioni admodum faventem exhibuit *Bernouilli.* Apparet, me non monente, ceteris paribus, non poſſe, quin ex inſititiis variolis moriantur pauciores, quam a naturalibus. *Primo* enim

ex

ex unanimi artificum ſententia, ad hanc operationem non admittenda ſunt, niſi corpora puerilia, ſana, mollia, nulla viscerum labe affecta. *Secundo* pus ipſum inſitioni deſtinatum coctum, blandum, ex corporibus cetera ſanis, variolis veris, benignis laborantibus, colligitur recens. *Tertio* ipſum anni tempus, vernum vel autumnale, aëris cataſtaſis pura, ab omni epidemica conſtitutione vacua, corporis denique ipſius, operationi deſtinati diſpoſitio, huic morbo aptiſſima, eligitur. *Quarto* venenum i-

ipſum varioloſum illius indolis eſt, ut ſanguini immediate admixtum, tantas turbas in corpore non creet, quam ſi vel inſpiretur vel deglutiatur. Jn poſteriori hoc caſu, præter alia, ob temporis anguſtiam non recenſenda mala, afficiuntur præ aliis partes illæ, quibus primum ſe adfixit contagii miasma; hinc pulmones, ventriculum, inteſtina, meſenterium ſubinde a variolis deturpata legimus. Qualia exempla memoriæ prodiderunt cl. *Schmiedel*, *Fernelius*, *Paræus*, *Rodericus a Caſtro*, *Horſtius*, *Thomas*

mas Bartholinus, *Kerkringius*, alii. Præparationem ipſam, quamquam a præcipuis jam inſitoribus vel negligatur, vel reprobetur, *quinto* loco hic recenſendam duxi. Diæteticam enim præparationem, corporis vires non labefactantem, ipſosque humores nec ſolventem, nec nimis commoventem, talem, quæ ſine ullo vitæ conſuetæ diſturbio fieri poteſt, inſitioni extemporaneæ præfero.

Omnia hæc jam memorata, in variolis naturalibus, communi modo per contagium acceptis, mere fortuita ſunt,

Corripiuntur hoc morbo omnis generis, ætatis, ſexus, vitæque conditionis, homines; infantes, pueri, juvenes, viri, ipſaque ſilicernia. Nec refert; ſanus vel æger, robuſtus vel tener quis fuerit; ſive ſanos et laudabiles gerat in corpore ſuccos, ſive ſanguinem alat acrem, corruptum, impurum; apti ſunt omnes, niſi veris jam variolis laboraverint, ad ſuſcipiendum contagium. Præterea ſæpe ex ægro variolis malignis, vel alio morbo ſimul decumbente, acquiritur contagium, communicatur per contre-

ctati-

etationem, per circumfuſam ægro atmoſpheram ſqualidam, venenatam, quæ vel inſpiratur, vel ſalivæ involuta deglutitur. Jnvadit denique ſub quavis aëris cataſtaſi vel bona, vel mala, ſive ſirius urat, ſive acerrimum gelu. Non poteſt ergo, quin a naturalibus variolis moriantur plures, quam ab inſititiis; dummodo ipſe inſitionis actus a viris prudentibus, expertis, debita cum circumſpectione fiat. Dolent hoc, et acriter dolent Medici Galli *de Beaux*, *Vernage*, *de la Condamine*, pluresque

alii; quod non ſolum ſpurias cum veris confundant ſæpe operatores, ſicque duplici periculo ægros ſuos exponant; ſed quod nimia quoque et culpanda maxime incuria et levitate artem inoculatoriam tractent, bonæque hujus operationis famæ ſic detrahant.

Non diffitendum interim eſt, carere ſubinde optato ſucceſſu, propter cauſas abſconditas, inſtitutam quamvis ſumma cum prudentia, inoculationem; immo ſymptomata interdum producere ipſis variolis naturalibus graviora. Notat ſic

in

in epiſtola, quam ad cl. *Tralles*, *Ludwig* dedit, quod eodem tempore ex quatuor inoculatis amiſerit unum, quum ex duodecim ægris, variolis naturalibus correptis, omnino mortuus fuerit nullus: licet inter hos fuerint, quos ob humorum malam conſtitutionem ab inſitione arcuerit. Differt in vario corpore veneni varioloſi actio; idemque pus, ſub iisdem cautionibus, eodem tempore, diverſis corporibus communicatum, raro eosdem producit effectus. Largitur idem hoc cl. *Gatti* in epiſtola ſua ad Dn.

Roux: cui tamen in peculiari tractatu contradicit *Ierome Carné*. Pendet hoc partim a diverſa ſuccorum inquilinorum corporis inſecti mixtione; partim a glandularum organorumque lymphæ ſecretoriorum ratione varia; partim ab aëris latente quadam non perſcrutabili ſemper acataſtaſia, huic operi inimica. Hæc ratio eſt; cur a pure ex variolis benignis deſumto, ſubinde per inſitionem variolæ naſcantur peſſimi moris teſte *Gaubio*, cur generentur ſæpe, quod cl. *Monro* et ill. *Gatti* videre obtigit, poſt ſupe-

ratum

ratum morbum, tumores glandularum pertinaces, sæpe ulcera cacoëthea, difficillimæ sanationis, ophthalmiæ pessimæ, erysipelata, aliaque mala, sæpe mortes. Dubitatur V: *An simul cum pure varioloso alius quoque morbus in corpus sanum transferri possit?* Resp. morbos exanthematicos plures, per propriam, quam in corporis superficie colligunt materiam, in alia corpora transferri posse, quotidiana docet experientia. Quin alios quoque gravissimos morbos, quotquot ex his ad contagiosorum classem

perti-

pertinent, per humores infectos, ex corpore morboſo, in aliud ſanum derivatos, facillime produci, toto die videmus. Hinc pus hominis varioloſi, alia ſimul labe laborantis, ſi incuria operatoris ad inſitionem adhibeatur, ſimiles omnino in alio corpore morbos producere aptum eſt. Metuendum autem hoc nunquam erit, ſi de artis peritia et probitate *inſitoris* conſtet. Abſit quoque, ut cum D. *l' Epine* credamus, tantam forte aliquando fore hominum malignitatem, ut cum veneno varioloſo aliud

quoque

qnoque toxicum misellis hominibus communicarent.

Jnterrogatur tandem: *Num post inventam et adhibitam insitionis artem, mortui sint in genere a variolis plures, vel pauciores, quam ante hanc periodum?* Resp. Disputatur et hæc quoque quæstio in utramque partem. Edimburgi, testibus necrologiis, tam ante quam post introductam a cl. *Maitland* a. 1726 inoculationem generaliter ex mortuis omnibus decimus semper a variolis moritur, in hunc usque diem. Londini docentibus

iisdem

iisdem tabulis mortuariis, ab anno 1725 quo tempore inſeri coeperunt variolæ, ad annum 1763 viginti duo mille et ſeptingenti homines, plus a variolis mortui ſunt, quam intra æquale tempus ante cognitam hanc inoculationis artem. Refutavit exhibitum hunc a cl. *Raſt* calculum, multo opere, ill. eques *de Chaſtellux*, legionis aquitanicæ præfectus, celeberque *David*; qui ex iisdem his albis contrarium probare contendunt. Communicavit itidem citatus jam *Raſt* tabulas necrologicas Pariſinas, quæ con-

tagium

tagium variolosum per insitionem immaniter auctum perhibent.

Alium omnino computum famosus insitoriæ artis patronus *de la Condamine* sistit: servari quippe solum in urbe Lutetia quotannis per insitionem variolarum probabiliter posse, demonstrat, homines mille quadringentos; per totum vero Galliæ regnum 28000. Magnum profecto, si recte computaverit bonus vir, pro insitione argumentum! Sed errasse eundem, et graviter quidem in tractatulo non inconcinno, cui titulus, *Let-*

tre

tre a Mſr. M. contre l' Inoculation, qui combat le memoire hiſtorique de Mſr. de la Condamine, oſtenditur fuſius. Priori non impar omnino ductus eſt a cl. *Tiſſoto* calculus: ſcribit hic; quod ſi millio hominum inocularetur, ſervatum iri certo certius 132857 ex his, qui a variolis naturalibus probabiliter interiiſſent.

Poſitis ad N. IV. conditionibus, largior omnino, proventurum ex arte inſitoria in genus humanum notabile bonum. Neque tamen minus incrementa quoque contagii ex variolis artificialibus

nasci-

nascitura credo. Sunt in promptu exempla nati a variolis insititiis contagii. A variolis benignis artificialibus variolas malignas confluentes per contagium in sorore sua genitas descripsit constantinopolitanus medicus, *Timony*; pluresque alii similes narrant historias, quas hic nominatim citare superfluum foret, quum experimentis compertum habeamus, pus ex variolis artificialibus desumtum, ad ulteriorem insitionem omnino sufficere. Hinc, ut præveniatur præsens hoc ex inoculatione variolarum redundans in

rempublicam incommodum, jubent cl. *Vernage*, *Raſt*, *Gatti*, ut ſegregentur ſollicite ab hominum conſortio inoculati, ſicque verenda ceteroquin, ex his naſcitura morbi varioloſi propagatio caveatur. Remedia illa, quæ ad peſtis contagium limitandum conveniunt, in hoc caſu adhibere ſuadet *Krauſe*. Noſocomia pro inſitione ad diſtantiam trium leucarum extra urbes conſtruenda, ipſosque a morbo hoc convalescentes, et in urbem reduces, per quadraginta integros dies ab omni hominum commer-

cio arcendos, militumque excubias in hunc finem adhibendas vult *le Hoc*. Et sic quisque, pro ingenii sui fertilitate, pia dedit, pro bono publico, nunquam forte exsequenda consilia. Probe pensitatis omnibus his difficultatibus, satius non nullis visum est, si possibile foret, exstirpare funditus hunc morbum, ejusque venenum corpori actu ingestum, ante sui evolutionem, destruere penitus. In antimonio et mercurio vivo, certa encheiresi intime inter se unitis, verum variolarum antidotum aliquando inveniri

credidit *Boerhaave*. In junipero latere aliquid specifici antivariolosi putat *Monro*. Pilulas ex calomelite, camphora, extracto aloes et gummi guajaci ad hunc scopum apprime laudat *Rosenstein*. Ut febrem inflammatoriam morbum hunc variolosum absque pustularum suppuratione tractare, nec inepte, docet *Medicus*. Proposuit quoque exstirpationem sub *Krausio*, *Beer*, qui autem præter remedia ad contagii cujusvis arcendam propagationem usualia, novi nihil profert.

En Amice! methodum meam, qua

eodem

eodem hoc ſcopo non ſine ſucceſſu uſus fui. Caſum ipſum breviter enarrabo, medendique rationem. Quæ, quousque propoſito fini ſatisfecerit, judicabis Jpse.

Præterlapſo anno, menſe Julio ad virginem vocabar adultam, vegetam, plethoricam, non invenuſtam. Hæc ab itinere redux, quod ad pagum quendam vicinum tribus forte leucis ab urbe diſſitum, viſitandi cognatos cauſa, ſusceperat; per unum alterumve diem de inſolita corporis laſſitudine, appetitu læſo, ſomnoque inquieto queſta, poſt vali-

diorem factam corporis commotionem, capitis doloribus vehementibus, lumbagine, nausea, conatibus ad vomitum febreque simul satis valida prehendebatur; quibus omnibus, pulvere temperante nitroso, largaque venæsectione eadem hac die celebrata obviam ibatur. Die sequenti facies, totumque caput cum collo et brachiis ita tumebant, ut prorsus dissimilis sibi ipsi facta fuerit ægra. Variolis se nondum laborasse jam narrabat, et vereri se, ne ipso hoc morbo sit affecta, quum per totum istum vi-

cum, in quo per aliquot dies esset commorata, grassatæ sint ubiquaque variolæ. Vero non dissimilis videbatur hæc virginis suspicio, ipsaque memorata jam morbi symptomata eam augebant. Nec celavi ægræ meam de morbo sententiam; animum tamen sollicitæ addidi, simulque quid ars ad proculcandum in herba malum valeat, me tentaturum promisi. Molliuscula fronti et tenera cutis erat; roseæ insuper facileque erubescentes genæ. Hinc faciem præ aliis larga exanthematum segete notandam

verebar. Dilutus præterea mobiliorque sanguis, ab imminente brevi febre acutiore, inflammatoria, citam degenerationem in putridam solutionem, nasciturasque exinde variolas malignas confluentes minabatur. Omnibus his natura accedebat valde actuosa, præceps animus, et dispositio biliosa; ad lætam in substrato casu formandam prognosin non omnino idonea. Quæ adhuc subinde redibat nausea, hærere adhuc aliquam miasmatis partem in primis viis, communi hoc materiæ cujusvis exanthema-

ticæ

ticæ diverſorio, notabat: aliam autem, jam ſanguini admixtam, veneni varioloſi partem, quæ febrem accenderat, revocabilem adhuc, ſaltem pro maxima ſui parte, ad primas ſuas ſedes, canalem inteſtinorum, ſperabam. Hinc, ut primo materiam varioloſam a facie avocarem, ſimulque huic ad exitum viam ſternerem expeditam, veſicatoria bina grandiuscula, acuata, magnitudinis duorum pollicum rhenolandicorum in diametro, utræque ſuræ appoſui. Dein ut ſolutioni ſanguinis putridæ quantocyus

occurrerem, fincerum corticis peruviani decoctum, cui camphora, nitrum, fpiritusque vitrioli, nec non fyrupus aliquis pro guftu meliori accefferat, largiter hauriendum præcepi; quum interim ad fallendam fitim, quæ validiffime urgere incipiebat, folum tamarindorum decoctum concederem. Maftrucæ tandem imponere ægram, ftragula quam leviffima effe, pavimentum aceto madere aërique in cubiculo pertranfitum liberum fieri fuafi. Quæ fequebatur nox turbulenta erat et infomnis. Forte et animi

folli-

sollicitudo metusque de morbi exitu somnum arcuerat.

Tertia dies tumorem insigniter auxerat, simulque in genis a latere colli, et in pectore prodierant maculæ latæ rubellæ, sensim sese elevantes, pustulasque minimas numerosissimas protrudentes. Hinc, quum camphoram veneni variolosi speciale antidotum scirem, dosin ejus in decocto corticis auxi, utque ex aqua frigida camphorata totam faciem partesque superiores spongia madefacta subinde lavet, linteaque aceto campho-

rato

rato madida manibus detineret auctor fui. Interim potus ille ex tamarindis continuo haustus, alvum creaverat laxam, materiamque exturbabat fœtidissimam, copiosam. Applicata vesicatoria bullas elevaverant amplissimas, crassas, sero acerrimo, caustico plenas, totamque viciniam tumore et rubore inflammatorio, multum dolente, notaverant. Ut ergo deglubata hæc loca suppurare eo melius facerem; quantumque liceret, materiæ morbosæ huc allicerem, unguento digestivo non nihil irritante illa deligavi,

cete-

ceterum in inſtituta methodo nihil o-mnino mutans. Facies hodie ab elevato tumore admodum tenſa graviter doluit.

Sequenti die, quam nox non omnino inſomnis præceſſerat, elevari hic illicve magis puſtulas, maximam tamen earundem partem omnino evanidas, non ſine gaudio vidi; præprimis, cum minui magis, quam augeri viderentur ſymptomata. Urina hodie miſſa, poſt aliqualem quietem turbata, leve demiſit ſedimentum. Quæ in ſuris paraveram artificioſa ulcera totum, quem circum-

jece-

jeceram, apparatum materia purulenta conspurcaverant, pustulæque aliquot elevatiores arrosa a cantharidibus loca circumcinxerant; dum eodem hoc tempore sparsa per superiores partes exanthemata variolosa magis magisque evanescerent. Oculos hodie inflammatos et maximopere dolentes collyrium texit refrigerans. Rebus sic dispositis, alvum tamarindorum decocto non nihil saturatiori, magis adhuc laxam reddidi, et corticis peruviani decoctum meracum, nitro, camphora, et spiritu vitrioli gravidum

vidum, qualibet hora ad unciam unam exhibere perrexi. Quo factum, ut quinta, a qua vocatus fueram, die faciem totam, omnesque ſuperiores corporis partes, liberas a puſtulis viderem ruboremque et dolorem oculorum inſigniter imminutum. Febris minor fuit, et laxior alvus. Ulcera crurum non ſolum ingentem puris copiam per applicata linteamina diffuderant, ſed puſtulæ quoque vicinæ, non omnino viginti, veram jam materiám purulentam colligere incipiebant. Sexta morbi die, naturali vix citatior

obſer-

obſervabatur pulſus, animique ſerenitas poſt placidisſimum ſomnum redierat. Augebantur diſperſæ per pedes puſtulæ, veroque jam, cocto et flavescente pure implebantur, florebant omnes læte, ſingulæque Zonam circumfuſam habebant coccineam. Valuit præterea ex voto ægra, ſi dolores exceperis pedum tenſivos, admodum moleſtos. Alvus ſolutior manſit. Urina ſub vesperam miſſa, ſedimentum depoſuit craſſum, copioſum, purulentum; largam quoque materiæ purulentæ copiam dederunt factitia in cruribus ulcera.

Mole-

Molestior septima dies fuit, ob capitis dolores hebetes, post insomnem, propter accusatos jam pedum dolores pervigilatam noctem, natos. Maturescebant magis magisque variolæ; fundebant insignem puris copiam vesicatoriis notata loca; reddidit satis magnam ejusdem materiæ quantitatem lotium; perrexitque in evacuationibus suis citatior alvus. Continuato sic remediorum evacuantium, corticisque peruviani et camphoræ usu, alitaque continuo ulcerum artificialium suppuratione larga, totum hunc mor-

bum divinis ſub auſpiciis profligavi feliciter, curamque ipſam tandem infuſo chinæ et rhabarbari vinoſo finivi absque quod vel minima reſtitantis adhuc variriolofi ſeminii ſuspicio ſuperfuerit.

Deſuit huc usque, quum quinto ſolum quovis recurrente anno a variolis epidemicis in urbe patria viſitemur, repetendæ hujus methodi occaſio. Meretur tamen, quæ repetatur.

Reſtat unum, quod ad facilitandam et perficiendam hanc variolis naturalibus medendi methodum eximii profecto uſus erit;

erit; quod copiam variolarum manifeſte minuet; quod cicatrices, aliasque fœdas cutis deformitates a variolis interdum nasci ſolitas præveniet; quod totum et breviorem et leviorem morbum faciet; quod tandem pleniorem ſpondebit ſanationem omniaque illa arcebit ſecundaria mala, quæ poſt ſuperatum varioloſum morbum ſubinde reſtitare in corpore obſervantur. Eſt hoc inciſio variolarum ſimulac cocto pure implentur, toties repetita quoties nova ibi regenerata materia fuerit et ſollicita puris deterſio. Apertas ſic

variolas ter quaterque videmus ſimili materia purulenta redimpleri: ergo unica talis inciſa ſæpius puſtula tantum materiæ morboſæ evacuabit, quantum tres vel quatuor non inciſæ variolæ dediſſent. Hinc, ſi ponamus; collectam in corpore fuiſſe talem materiæ varioloſæ copiam, ad quam eliminandam centum forte puſtulæ fuiſſent requiſitæ; eidem huic operi jam viginti quinque ſufficient, multoque minori cum incommodo æqualem materiæ morboſæ copiam educent, quam centum illæ præſtitiſſent, ſi omnes

mnes bonum et laudabile pus collegerint. Fieri cicatrices conſtat, ſi hærens nimis diu in variolis pus, acre redditum, ſubjectas partes arrodat. Evacuata ergo tempeſtive hac materia, hæ quoque cavebuntur.

Scimus præter hæc, affricatum cuti externæ ſimpliciter et a venis bibulis reſorptum varioloſum pus, totam humorum maſſam corrumpere morbumque hunc regulariter producere: quanta ergo mala creabit in corpore jam actu morboſo, febre putrida laborante, ſuccisque

infectis undique ſcatente hoc fermen tum ſi vel ex disruptis caſu variolis maturis, et cuti ſic applicato pure, nova de novo morbi materia ſanguini fuerit ſuppeditata; vel ſi a quacunque cauſa ex variolis ipſis jam pure cocto turgentibus relabatur in maſſam humorum collecta jam et ad corporis ſuperficiem determinata variolosa hæc materia? Nota nimis peſſima hæc ſymptomata ſunt; quam quæ hic recenſeantur.

Quumque tandem mediante hac operatione major ſemper materiæ morboſæ

quan-

quantitas ex corpore educatur, ipſaque hæc evacuatio plenior fiat, neceſſario quoque ſanationem pleniorem futuram, omniaque, quæ a relicta forte in corpore materia varioloſa produci ſolent, mala ſecundaria facesſere debere, ſequitur.

En jam, VIR CLARISSIME! methodum quandam, variolas naturales, quoad benignitatem, artificialibus æquales reddendi, et præſtaturam fortaſſis plus, ſi excolatur magis, et perficiatur. Gratulor interim TIBI de fauſto inſitionis a TE factæ ſucceſſu; ſine quo certo certius

eadem Vesaliæ incurrisses a vetularum tribu pericula, quæ Brixenæ *Octavius Marocchi*; forte majora. Tantum de variolis. Transeo jam ad illam proprie Tractatus TVI partem, quæ ansam mihi scribendi dedit. Notasti breviter, ictericos factos Vesaliæ esse infantes quosdam tussientes; simulque historiam morbi icterici periodici addidisti, quem solus antifebrilium medicamentorum usus sanavit. Accidit jam casu, ut eodem forte tempore, quo observationes TUAS Vesaliæ collegeras, et hic quoque apud

nos ſimilis plane morbus, tam in urbe ipſa, quam in pagis vicinis per infantes graſſaretur, mihique ante detectam morbi cauſam quoad medicationis modum multum operis faceſſeret. Rei pretium ergo me laturum credidi, ſi regii hujus morbi, ejusque ſymptomatum rationem paucis expendam; quam circa hujus morbi cauſas et geneſin mihi formaveram ideam tribus TEcum communicem, ſimulque methodum indicem ſimpliciſſimam, cujus ope rariorem hanc Morbonæ ſobolem debellaverim feliciter.

Addidi Tractationi huic, icteri non minus notabilis periodici hiſtoriam; digniſſimam hercle, quæ propter miram ſymptomatum complicationem, abſtruſumque morbi genium oblivioni ſurripiatur; præſertim cum tanta fuerit atrociſſimi hujus morbi pertinacia, ut per triennium integrum, omnem, et ſelectiſſimorum quoque remediorum eluſerit efficaciam, tandemque mutata ſcena, mortem ægro intulerit.

Dulce eſt, fateor, feliciter geſtarum rerum tradere hiſtorias, adhibitorumque

reme-

remediorum præſertim novorum celebrare per orbem effectus; nec inficias ibo, inſigne ex ſanatorum morborum atrocium hiſtoriis, fideliter et ſine faſtu conſcriptis, redundare in artem noſtram emolumentum. Verum enim vero, non minus noſtra intereſt, infelicium quoque et carentium optato ſucceſſu medicationum, ſcire hiſtorias, ſcire applicatorum remediorum apparatum, ſeriem, effectum, ſcire ſymptomatum ſibi ſuccedentium totam ſyndromen, eorumque ad ultimam usque ſcenam metaſchematiſmum;

tismum; videre tandem morientem ipſum ægrotum; immo (ſi licet) in jam mortuo, absconditam rimari morbi ſedem. Data ſic fideliter morborum ſingulorum atrocium diaria grandes ferunt artis ſalutaris cultoribus fructus. Non deprimunt ſolum celſum nimis ſciolorum ſupercilium; ſed ingenuis quoque medicis exemplo eſſe poſſunt, ſecundum quod prognoſin ſuam in ſimili caſu formare, conſilia ſua dirigere, notatasque ſyrtes evitare tuto poſſint.

Fecerunt hoc principes jam priscorum

ſæcu-

ſæculorum artis noſtræ fundatores. Notavit inſanabilium ſibi morborum exempla fideliter *Hippocrates*, quin ipſa a ſe perperam et præcipitanter adminiſtrata medicamenta infauſtumque eorundem effectum non reticuit, futuri ut ævi medicos a methodo tali funeſta deterreret, faceretque per aliena pericula cautiores. Hæc ſenis noſtri veſtigia premens, celeber quoque *G. Young*, in tractatu ſuo, Anglico ſermone, *de Opio* ſcripto, omnes quoque recenſet infelices illos caſus, in quibus vel nullum omnino, vel ma-

lum

lum effectum produxerat exhibitum a fo opium. Neque minori ingenuitate cl. *Hænius* ufus eft, in defcribendo lethali, a tentata cranii uftione, eventu. Dedit itidem morborum fibi et arti invictorum hiftorias alter medicinæ parens ejusque reftaurator *Boerhaavius*, non quidem eo fine, quo *Cous*, fed ut pateret manifefto, quæ morbi illius fingularis fuerit crudelitas, quæ fymptomatum ratio, quale ex his ferendum prognofticon, et quæ remediorum fruftra adhibitorum infuperabilis cauffa. Alia fæpe accedit, medi-

cum

cum ingenuum ad edendas publice morborum hujusmodi fatalium hiſtorias determinans ratio: hæc nempe, ut tollatur detrahendi occaſio malignis ſæpe nimium et acclinibus falſo alienorum caſuum commentatoribus.

Gaudebo, ſi paucula hæc in artis incrementum aliquid conferre poſſe, cenſebunt æqui rerum arbitri. Gaudebo ſi et TU ſubceſivas noſtras curas, quarum materiam ſuppeditaſti JPSE, in amicitiæ nunquam interruptæ ſignum accipere dignaberis. Vale! Dabam Eſſendiæ, idibus Martii 1773.

TRACTATUS

DE

JCTERO SPASMODICO

JNFANTUM

ANNI 1772.



De

ICTERO SPASMODICO

Actum quidem agere, et Jliada .poſt Homerum ſcribere videbor, de *Ictero* jam diſſertaturus; dum Medicorum primos, *Boerhaavium* ejusque non minus celebrem discipulum, rivalem, et commentatorem L. B. *Swietenium*, pluresque alios non minorum nominum noſtri ævi viros, in exornanda hac ſparta habuerim anteceſſores. Qui quicquid ex locupletiſſimo priscorum Medicorum pe-

nu,

nu, ex multiplici et annoſa experientia, fultoque his caſto ratiocinio, ad determinandas multifarias hujus morbi et abſtruſas ſæpe matrices, ad eruendum verſipellem ejus genium, ad ſuperſtruendam omnibus his medendi methodum, pro cauſarum differentia longe diverſiſſimam, ſcitu poſteris neceſſarium putarent, improbo longoque labore congeſſerint, themaque hoc exhauſerint penitus.

Meruerunt omnino Viri hi univerſales vaſtiſſima ſua eruditione, rerumque peritia, utiliſſimisque ſuis, quibus ſote-



riam artem locupletarunt, inventis, non monumenta ſolum honorifica publica, ſed perenniores omni ære et marmore laudes, gratiasque immortales, ob ſingularem et inimitabilem ſane in perſcrutandis, deſcribendis, renuntiandis, curandisque morbis, acribeiam. Supererant tamen adhuc bene multa, quorum cognitio intimior ſervata noſtro ſæculo fuerat; ſupererunt longe plurima, quorum inventio ſeros demum nepotes manebit. Erunt quæ eruentur nunquam.

Multum profecto medicinæ hodiernæ

practi-

practicæ lucis affuderunt epidemici, quibus jam ab aliquot retro annis premimur, et maligni morbi. Omnem hi medicantium attentionem, induſtriam, asſiduitatem, omneque ingenii acumen provocarunt, ad detegendas flagellorum hujusmodi publicorum absconditas cauſas, eorumque genium plane ſingularem; ad explicandam complicatiſſimorum inter ſe ſymptomatum ex cauſa detecta rationem, ferendaque ex collatis his firma et ſtabilia prognoſtica.

Nec defuere, qui ſuo ipſorum vitæ



periculo, diu noctuque circa ægrotorum lectulos assidue versantes, et ad minutissima quævis attenti tandem ad pernoscendam veram substrati morbi indolem, dignoscendasque varias, in quas induere se solent, formas, herculeo labore pervenerint, dulcissimosque inde pro salute publica tulerint et nunquam intermorituros fructus. Jllustris hæc semita est, in qua *Sydenhamus*, *Pringle*, *Huxham*, *Fothergil*, *Monro*, *Baldinger*, *Hirschel*, *Strack*, *Tissot*, *Zimmermann*, *Allion*, *Benvinuto*, *Sarcone*, *Torti*, aliique

plures

plures, tantam ſibi conquiſiverunt glo-riam, laureasque reportarunt, poſt ſæcu-la non emarcituras.

Jd præterea utilitatis arti medicæ ſæ-pe præbent morbi epidemici, ut ad per-veſtigandam et illuſtrandam illorum quo-que morborum naturam, cum quibus vel conjunguntur, vel ex quibus emergunt, vel in quos tranſeunt, multum ſubinde conferant; novosque ſic cauſarum fon-tes aperiendo, amplum ſimul adhiben-dorum cum fructu remediorum, antea vel ignoratorum, vel ſaltem neglecto-



rum monſtrent campum. Quid, quod, quum epidemiarum tempore plures ſimul, variæ ætatis, conſtitutionis, temperamenti, vitæque ante actæ homines, ex eodem morbo decumbant; medico quoque obſervatori ſufficiens inde ſuboriatur occaſio in abſtruſiſſimas morbi ſedes inquirendi, et ex collatis inter ſe tot agrotantium ſymptomatibus, aliquid certi definiendi.

Jdem omnino circa præſentem, cujus hiſtoriam jam molior, morbum, obtinuit. Jcterus erat ſingularis, intermit-

tens

rens, periodicus, tenella, irritabiliaque præ aliis corpora maxime invadens, omnibus, quæ alias huic morbo opponi solebant remediis, resolventibus, aperientibus, evacuantibus, non solum non cedens; sed ab adhibitis his, licet lenissimis, manifeste auctus; cujus tamen naturam et causas solas hic status epidemicus, prægressusque morbus tandem prodidit; postquam et medicantium et ægrotorum patientiam diu satis tentasset.



HISTORIA MORBI.

Poſt febres mali moris bilioſas, liquida corporis humani ſatis cito in putredinem ſolventes, æſtivo tempore furentes, adventante autumno tuſſis quædam ſtomachalis, ex convulſivarum claſſe, quam pro catharrali, ab ingruentibus jam variis atmoſphæræ mutationibus, vulgus habebat; quamque poſt febres bilioſas prægreſſas, non infrequentem *Huxhamius* (a) notat, infantes maxime adorie-

(a) Obſervationes de aëre et morbis epidemicis ab Anno 1728 ad 1737 Plymouthi factæ.

adoriebatur; cui poſt unum alterumve paroxyſmum, ſubinde tardius, dolores ſeſe jungebant infimi ventris atroces, colici, cum totius corporis rigore. Hi ſenſim ab inferioribus adſcendentes in cardialgiam deſinebant vehementiſſimam, ad mentis alienationes, artuumque ſpaſmodicos motus non raro pertingentem. Brevi poſt pectoris conſtrictio aſthmatica, reſpirationis difficultas et ominoſa præcordiorum anxietas ſuccedebant, cum pulſu parvo, contracto, tardo, et intermittente. Omnibus his, niſi ſcenam



prius clauderet ſubitanea mors, ſocium ſeſe præſtabat *Icterus*, oculi albugineam, omnemqne cutim fœda aurigine tingens; deoppilantibus quibuscunque, bilemque ſpiſſiorem fundentibus remediis, appropriatiſſimis, inobedientiſſimus; a purgantibus, vomitoriis, aliisque in tuſſi ſtomachali efficacibus alioquin et activis remediis, inſigniter auctus, poſt ſolutum paroxysmum in principio brevi ceſſans, dein diutius ſuperſtes, tandem pertinaciſſimus. Quibusdam dyſuria accedebat; ſtranguria aliis, perquam moleſta;

prodi-

prodiensque guttatim lotium tenue, decolor et aquosum erat. Fæces alvinæ, siccæ, gryseæ, in scybala rotunda, parva, caprina, formatæ, excernebantur. Sudor profusus, alvique et urinæ profluvium largum, quemlibet paroxysmum, semel, bis vel ter in die invadentem, solvebat. Jngens hoc tempore pusionum grex libitinæ cessit; præsertim e gente rustica, quæ non nisi conclamatis jam ægri rebus, auxilia adhibere solet; morte medicationen præveniente.

Sæculum effluxit, quum hujus generis



Icterus Angliam quoque infeftaret, aperte fpasmodicus, poft colicam biliofam fpuriam, fubjecta mollia, debilia, irritabilia, infantilia, fœminina hyfterica et masculina hypochondriaca, præ aliis invadens; fimiliter periodicus, ab omnibus aperientibus evacuantibus, ipfa venæfectione, quin ab enematibus, vel blandiffimis graviter exasperatus, per emollientia fola, uti et Effendienfis nofter, tractandus. Defcripfit epidemiam hanc annorum 1670, 1671 & 1672 fulgentiffimum Britanniæ lumen et Londinen-

dinensium decus, inter observatores practicos ex accuratissimis, *Sydenhamus* Sect. IV. Cap. VII. p. 213. Huic in sequentibus historiam febrium continuarum epidemicarum a. 1674 & 1675 sævientium subjungit; quas, deposita ad intestinalem tubum materia morbosa, superveniens diarhœa critice judicabat; quibus autem, si aëri externo frigidiori sese nimis exponerent ægri, *icterus* ordinarie accedebat.

Neque singulares vel rari casus illi sunt, ubi morbis epidemicis socius adest

icterus.



icterus. Plura apud obſervatores proſtant hujus rei exempla. Celebriora hic nominabo. In febre illa epidemica, quæ Gandavum anno 1742 vaſtabat, poſt ventriculi et abdominis dolores acutiſſimos, bilioſamque diarrhœam, icterum ubique præſentem notavit cl. *Home* (b) Icteri cum morbis epidemicis Moguntinis annorum 1754 & 1755 conjuncti hiſtoriam nobis dedit cl. *Strack* (c) Morbo illo epidemico mucoſo, anno 1761 men-

(b) Medical Facts and experiments by Francis Home Edimb. 1760.

(c) Acta Academ. Mogunt. Scient. util. Tom. 1. pag. 320.

mens. Mart, quem cl. *Rœderer* cum *Wa-glero* describunt, icterus non minus solennis fuit, quam epidemiæ illæ Göttingensi, quam cl. *Riepenhausen* exhibuit, ubi, post febres petechiales emergens, in febrem intermittentem malignam transiit. In morbis biliosis, castrensibus, remittentibus, post atroces ventriculi dolores, nauseas, regium eundem hunc ex spasmodicorum genere morbum familiarem notat cl. *Pringle* (d). Tertianæ duplicæ epidemicæ, cum vomitu perpetuo, do-

(d) Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee Th. 3 Cap. 4.

loribus colicis, copiosisque dejectionibus biliosis junctæ, adsociatum icterum fuisse memorat cl. *Mœring* (e). Arquatum hunc morbum, dysenteriæ putridæ, copiis, quæ anno 1766 Lusitaniæ dabantur, auxiliatricibus, epidemicæ, ubivis supervenientem, descripsit cl. *Christ. Douglass.* Similiter et icterum febribus illis epidemicis malignis, quæ Vratislaviam sub finem elapsi sæculi depopulabantur, socium ubique observavit cl.

Helwich

(e) Commerc. Norimberg. Anno 1736 Hebd. III. art 2. it. Anno 1737 Hebd. 22.

Helwich (f). Ut jam de aliis in præsentia taceam. Maxime tamen notandum, omnia, quotquot a Medicis secta sunt defunctorum ex morbis his ictericis cadavera, nullum unquam exhibuisse vel hepatis vel cystidis felleæ aut ductuum biliariorum visibile vitium. Hinc solam cystidis ejusque excretorii ductus stricturam spasmodico convulsivam, effluxum bilis in duodenum præpedientem, icteros hos unice produxisse manifesto constat. Obtinuit idem in nostra epidemia. Percur-

(f) Historia morborum, qui annis 1699, 1700, 1701 & 1702 Vratislaviæ grassati sunt p. 14.



re, ſi libet, multiplices ictero generando miniſtrantes cauſas morboſas, earumque ſymptomata; confer hæc ad morbum noſtrum ſingula. Nullam profecto ex omnibus his ad præſentem caſum referri poſſe, videbis. Illuſtrabimus præcipuas.

Cholopoieſeos inſtrumentum princeps hepar eſt; hoc ergo præter naturam morboſe affecto, univerſum quoque ſecretorium bilis opus impediri, turbari, et interrumpi neceſſum eſt. Reſtitabunt ergo, quæ ſegregari a ſanguine ſecundum naturam debuiſſent, elementa oleoſa, ſalina,

ſina, quæ prima conſtituunt fellis utri-
usque ſtamina, recedet a ſana ſua craſi
et ſolvetur hoc ſapone ſanguis, naſcetur
cacochymia bilioſa, fiet icterus. Quem
preſſo pede generalis humorum putre-
factio ſequetur.

Plura ſunt hepatis vitia, ictero produ-
cendo apta. Jnflammatio huius viſceris
vera morbus quidem rarior eſt, quam
vulgo creditur; veram ergo hepatis
phlegmonem, ſi non ad non entia, ſaltem
ad rariſſime contingentia refert *Frid.*
Hoffmanus (g) Hæc autem inflamma-

 tio

(g) Oper. pathol. pract. Dec. 1. Diſſ. 8.



tio si magna et profunda fuerit, ipsumque hepatis parenchyma occupaverit, icterum generat. Levis, in extima quadam hepatis parte enata, vel superficiaria solum inflammatio, quam erysipelatosam vocant, ad biliaria vasa non pertingens, icterum nunquam producit per se, quantacunque etiam in corpore cieat symptomata. Sed si ad causas et symptomata attendamus, hepatitidem veram tam antecedentia, quam comitantia, quæ cl. *Boerhaavius* enumerat (h), nullum ex his in ictero nostro obtinuit.

Scirr-

(h) Aphorism. §. 916. sequ.



Scirrhosum ſæpe fit hepar et in lapideam fere indureſcit ſoliditatem, ſic, ut non officio cholopoieſeos ſolum defungi ceſſet vitiatum in fabrica ſua organica hoc viscus, ſed ut mole quoque enorme partes ſibi appoſitas comprimat, vaſaque ſic biliaria arctando auriginem producat. Varia vitiati hoc modo hepatis exempla *Bonetus* notavit in Anatomiæ practicæ tomo ſecundo, libro tertio, ſect. 16. obſ. 3 et 4. Nec non *Veſalius* in data ad *Ioachimum Roelants* epiſtola, quæ in Operum tomo ſecundo

pag. 674 habetur (i)

Frequens non minus eſt hepatis abſceſſus, morbus in ſuis principiis ſæpe difficilis cognitionis, totum nonnunquam hoc viscus adeo deſpaſcens, ut non niſi ſaccus coriaceus, pus teterrimum continens, a tota ejus ſubſtantia ſuperſit. Vidi ipſe plura hujusmodi in ſectis cadaveribus exempla, aliaque notarunt præter *Bonetum* jam citatum, cl. *Bianchi*, *Fo-*

reſtus

(i) Conferri huc poterit cl. *Van Swieten* Comm. ad Aph. Boerhaavii Tom. 3. §. 946; pertinetque huc *Hippocratis* aph. 42, ſect. 6. aph. 64. ſect. 4. it. coac. prænot. art. 122.

vestus, *Bartholinus*, *Coiterus*, pluresque alii. Regium vero morbum ex destructo sic in universum viscere hoc principe cholopoietico nasci, et quidem pessimi moris, nullius, credo, indiget probationis. Periodicum ex tali hepatis labe icterum productum recensuit in Actis Edimburgensibus *Iames Dundas* (k)

Tolluntur aliquando in ingentes varices vasa hepatis sanguifera, venosa, *Mortono*, *Bianchi*, *Vesalio*, *Boneto*, ali-

(k) Tom. 2. art. 29. Referendus huc erit Hippocratis aph. 45. sect. 7 ut et coac. prænot. art. 451.



isque teſtibus. Hi pariter organa bilis ſecretoria ſibi vicina comprimendo, eorumque functionem impediendo, morbum regium efficiunt. Jdem fieri poteſt per infarctus, (quos ab atonia hepatis ejusque debilitate morboſa maxime naſci contendit *Fr. Hoffmannus*) (l) ſyſtematis vaſorum hepaticorum a materia gypſea (m) ſteatomatoſa (n) et calculoſa factos. Notandum tamen, corpora hæc

pere-

(l) Med. rat. ſyſtem. Tom. III. ſect. I. cap. 4. §. 39.
(m) vid. Acta. N. C. Tom. 2. obſ. 176
(n) *Gliſſonii* Anat. hepat. cap. 8. it. *Columbus* lib. 15.

peregrina, quorum in ipſo hepatis parenchymate præſentiam oculati teſtes probant *Camenicenus* in epiſtola ad *Matthiolum*, *Dodonæus* et alii, icterum tum demum producere, ſi in pororum biliariorum vicinia conſederint, eosque vel mole vel pondere ſuo compreſſerint. Hujusmodi caſus legi poſſunt apud *Columbum*, *Gliſſonium*, *Fallopium*, *ab Heer*, *Reverhorſtium*, *Riedlinum*, *Peucerum*, aliosque plures.

Alius ex his infarctibus ſequitur ictero inſanabili producendo commodus he-



patis morbus. Obstructis nempe a materia qualicunque oppilante vasculis bilis secretoriis, dilatabuntur (quod ubique fieri solet) præter naturam vicini venæ portarum rami liberi, promtissime ergo effluet delatus ad hoc viscus sanguis. Collabentur infarcta non solum, sed alia quoque lateralia hepatis minima vasa. Concrescent priora cum materia, quam sinu fovent, obstruente; alia per applicatas ad se invicem parietes. Minuitur ergo mole hepar, fit aridum, exsuccum, instarque corii durum. De-

struƈta

ſtructa ergo machina, ſilebit bilificatio, reſtabit in maſſa humorum ex his ſequeſtrandum fel, naſcetur icterus peſſimus. Vidit hanc arquati morbi cauſam in ſecto cadavere *Swietenius*. Productum a ſimili hepatis deturpatione ſolenni icterum memorat in Hiſtoria Academiæ Regiæ ſcientiarum *Du Verney junior*, parilemque caſum deſcribit in obſervationibus ſuis *Tulpius*.

Gliſcunt nonnunquam per choledochum ductum vermes ipſamque hepatis ſubſtantiam intrant. Celebrem hiſtoriam



vermis, hepar ſic ingreſſi, illud depaſcentis et dein per eandem viam rurſus egreſſi, atrociſſimorum ſymptomatum ipſiusque mortis cauſæ cl. *Bond* tradit (o). Alia inſuper hepatis parenchyma inhabitantium vermium exempla memoriæ prodiderunt *Bianchi*, *Ruyſch*, *Bidloo*, reperitque lumbricum, qui pereſa hepatis ſubſtantia, capite ſuo, usque ad veſtientem externam huius viſceris, in gibba ejus parte, membranam penetraverat *Galenus Wierus*. Publicavit obſerva-

(o) Medical Obſervations and Jnquiries vol. 1. art. 9. p. 68.

ſervationem hanc *Iohannes Wierus*, *Galeni* pater (p); legique circa hæc apprime meretur cl. *Pallas* Diſſert. de infeſtis viventibus intra viventia, nec non cl. *van Doeveren* Diſſ. inaug. de vermibus inteſtinalibus hominum.

Contingit quandoque ut materia quædam purulenta, ichoroſa, apoſtematica per metaſtaſin ad hepar deferatur, ibique pro ſua indole diverſa producat et ſontica ſæpe mala, inter quæ non raro icterus. Exemplum vidi ipſe. Obtinere

autem

(p) vid. oper. omn. p. 316. §. 5.



autem ex recensitis his icteri causis in nostro morbo omnino nullam, cuilibet me non monente patebit.

Pergimus ad cystidem felleam. Varias et hæc quoque, si quoad organicam suam structuram a statu naturali sano recesserit, morbi arcuati causas largiri potest, dum vel inflammatur (q) vel abscedit (r) vel extenditur ultra tonum. Fieri hoc observata docent numerosa laudati

(q) *Sabazier* Differt. de calculis felleis Monspelii habitæ 1758. p. 74. cl. Auctor morbum hunc *cystidem* vocat.

(r) *Pommé fils*, vid. Journal de Medecine Tom. 10. p. 432. item *Guettard* Histoire de l' Acad. Royale des sciences a. 1759.



dati jam *Sabatieri*, celebrisque *Gibsoni*, qui receptaculi biliosi hydropem in Actis Edimburgensibus describit (s). Vesalius in Martello cystidem felleam duorum pugnorum magnitudinis invenit. Naturali sextuplo maiorem illam vidit *Zwingerus*; magnusque *Swietenius* in Commentariis ad aphorismos Boerhavii § 935 foeminæ ictericæ exemplum profert, in qua cystidis felleæ fundus ad os ilium usque pertingebat. Similem præterea extensæ in ingentem molem vesicæ

(s) Tom. 2. art. 30.



biliariæ ab humore pituitoſo caſum narrat *Du Verney*, Hiſt. de l' Acad. Royale des Sciences anno 1701. Jmpeditur non ſolum a præternaturali hac cyſtidis extenſione liber bilis ab hepate in cyſtidem tranſitus, ſed idem in veſica quoque fellea obtinet, quod in veſica urinaria fieri ſolenne eſt; claudi nempe veſicæ collum tanto arctius, quanto magis extenditur veſica. Quid, quod ipſum tale vas membranaceum, ultra tonum diſtentum, contractilem ſuam amittat cum ela-

tere

tere vim (t) nesciumque arctari tandem ab affluente continuo liquido necessario rumpetur, suaque contenta effundet in cavum vicinum cum eventu lethali. Degenerem in cartilagineam, immo osseam substantiam, cystidem, icteri lethalis causam *Rhodius* vidit (u). A callositate vesiculæ felleæ, quæ ex observationibus cl. *Morgagni*, *Boneti*, *Wepferi*, aliorumque ut plurimum ab attritu illo oritur, quem contenti in cavo cystidis calculi produ-

 cunt,

(t) vid. *Halleri* instit. physiolog. Tom. 6. tit. Hepar. it. *Morgagni* Epist. anat. med. 37. art. 14. nec non *Galeni* de loc. affect. lib. 5. cap. 7.

(u) Cent. 3. obs. 96. et cent. 11. obs. 3.



cunt, ictericiam in matrona nobili Patavina natam memorat cl. *Morgagni* (v). Excrescentias peregrinas fungosas in his locis, icteri insanabilis sonticas causas, in sectis cadaveribus detexit citatus idem *Morgagni* et præter hunc *Donatus*, *Nicolus*, (w) aliique.

Calculos in cystide fellea nasci res rara non est. Adeant, qui horum exempla legere cupiunt, observatores ipsos, *Ruy-*

(v) De causis et sedibus morborum lib. 3. Epist. 30. art. 7. et Epist. 36. art. 2. Alia exempla prostant in A. N. C. Tom. 4. obs. 140. et in *Bezoldi* Diss. de cholelitho. Argentor. 1725.

(w) Sect. 5. cap. 2. art. 3.

Ruyschium (x) *Störkium* (y) *Hoffmannum* (z) *Henry* (a) *Storchium* (b) *Mentzelium* (c) *de Blegni* (d) *Bartoletum* (e) alios. Quin ipsis vesicæ biliariæ tunicis internidulatos hos referunt *Ellerus*, *Morgagni*, *Galeatius*. Calculi

(x) Obs. anat. 24. p. 25.
(y) Ann. medic. 1. pag. 126
(z) Med. rat. system. Tom. 4. sect. 2. cap. 3. obs. 1.
(a) Recueil periodique d' observations de Medecine par Msr. *van der Monde* Tom. 7. m. Nov.
(b) Commerc. lit. Norimb. ann. 1735 hebd. 50. n. 4.
(c) Ephem. Nat. Curios. Dec. 1. Ann. 9. obs. 181.
(d) Zodiac. Med. Gall. Ann. 1. Epist. 4. obs. 7. Epist. 5. obs. 8.
(e) v. *Rhodius* cent. 3. obs. 2.



autem hi, quamdiu tranquilli in ſitu ſuo primitivo permanent, neque exitum per choledochum ductum moliuntur, ſine ictero inſequente vel alio ullo ſanitatis diſpendio per longos annos in corpore hærere poſſunt, teſtibus cl. *Lemery*, *Stiebero*, *Hoffmanno*, *Roncallio*, *Hallero*, *Galeatio*, *Themelio*, *Valſalva*, *Vatero*, *Morgagno*, *Ettmullero*, *Valisnero*, *Riedlino*, *Sculteto*, *Mortono*, *Pechlino*, *Reverhorſtio*. Jn cadavere viri ſenis, qui nunquam ictero laboraverat, tres calculos, magnitudine nucis avellanæ

lanæ

lanæ maioris, quadrangulares, in cystide fellea invenit clar. *Hannes*. Ast simul ac relicto natali loco ingressum in canalem angustiorem tentant hi calculi, angulisque suis, quos habere solent, acutis, teneras cystidis internas tunicas vellicare incipiunt, regium morbum producunt (f).

Singulare præterea et mirandum profecto in fellis cystide phænomenon, icteri

(f) *Zach. Vogel* Anatomische, Chirurgische und Medicinische Beobachtungen. *Störck* Ann. med. I. p. 150. In hoc casu intima ipsorum ossium substantia intensa flavedine tincta observabatur.



icteri non insolita causa, vermes sunt; insecta, quibus amara omnia inimicissima esse novimus et ad quæ necanda ipsa animali bile non raro utimur. Hæc interdum in ipso hoc bilis promtuario diversari, ibi nidulari, bene valere, crescere et augeri videmus. Ferunt casus hujusmodi *Ephemerides Naturæ Curiosorum* (g). Notat idem ex observatione *Galeni Wieri* (h) *Fabricius Hildanus* (i)

tri-

(g) Decad. 2. art. 7. obs. 16.
(h) vid. Epist. ad *Hildanum* Düsseldorpii 16. Junii. 1602.
(i) Observ. chirurg. observ. 60. p. 61.

trigamque hoſpitum hujusmodi peregrinorum ſimul in vaſe hoc biliario detectam memorant *Commentaria Lipſienſia* (k). Producunt regium morbum vermes, dum vel ſub ingreſſum ſuum in ductu choledocho hærentes bilis in duodenum iter claudunt; vel dum actu in cyſtide habitantes roſtro ſuo internas huius receptaculi parietes irritando ſtricturas harum partium ſpaſticas excitant.

Omnes hi ordine jam nominati he-

(k) Tom. 14. part. 4. p. 664. in not.



patis cyſtidisque felleæ morbi icterum licet ſinguli producere poſſint, non tamen ubique illum progenerant (Teſtari hic *Gibſonum*, *Morgagnum* et *Petermannum* ſufficiet) Verum ſi morbus ſimul accedat excretorii communis biliarii ductus et promtius et citius producitur flavus hic morbus. Nominabimus primarios ejus morbos, inquiſituri dein, num ex his icterus epidemicus noſter produci potuerit.

Phlegmone corripi poſſe excretorium bilis communem ductum, vel ex ipſa



ejus fabrica, quam admodum vaſculoſam et nerveam nactus eſt, ſponte patet. Hinc, quum tumere parti cuicunque inflammatæ ſolenne ſit, tumens autem in membranis ſuis quilibet canalis notabiliter anguſtetur, apparet clare, retardatam ſic a canali ſuo præter naturam coarctato in itinere, exitu prohibitam, redditamque humoribus reliquis bilem, icterum ſatis cito producturam.

Aliæ præter hæc ſunt et multifariæ, quæ ductum hunc biliferum vel arctare, vel claudere omnino poſſunt, cauſæ:



ſæ. Tophis obturatum hunc ductum *Bennetus* vidit (l). Excreſcentias fungoſas canalem hunc præter naturam omnino claudentes cum ictero inſequente lethali *Nicolus* obſervavit, ſimilesque notavit inſuperabiles auriginis cauſas in adverſariis anatomicis *Morgagni*, *Albucaſes* et *Donatus* (m). Occalluiſſe hunc ductum, clauſum totum, natamque inde icterician lethalem vidit in ſenatore Veneto

Mauro-

(l) Theatrum tabidorum, exercitat. 20. p. 54. et 55.
(m) De med. hiſt. mirab. lib. 5. cap. 3.



Mauroceno Aurelius Pallazzoli (n). Concretum hunc canalem communem oſtendunt tentamina medica Anglica (o) occluſumque eundem a calculo cyſtico deprehendit *Störck* (p). Exſiccatum omnino, chordæque muſicæ ſimilem hunc meatum obſervavit cum *Rolfincio* (q) *Argenterius* (r) Ab intusſuſceptione ſeu

mutuo

(n) Annot; a *Cathario Zeno*, additis ad vitam *Mauroceni*, a *Nicol. Craſſo* conſcriptam.
(o) Medical Eſſay. Tom. 2. no. 21. pag. 310.
(p) Jn Anno medico 1. jam citato.
(q) Epitome cur. lib. 3. cap. 8.
(r) Lib. 4. aphor. 2.



mutuo ingreſſu choledochum ductum firmiter occluſum natumque inde icterum pertinaciſſimum lethalem *Iob van Meekern* in obſervationibus ſuis notavit. Compreſſum ab hydatidibus, cyſtidi, ejusque ductui accretis, eundem hunc canalem *Valſalva* refert, idemque memorant *Acta Academiæ Scientiarum Petropolitanæ.* Lumbricum verum teretem, ipſum choledochum ductum occupantem, in cadavere fœminino vidit cl. *Hannes.* Perforaverat hic hepaticum bilis ductum, roſtroque ſuo per factum vulnus prominebat,

minebat; dum interim cauda ſua in duodeno adhuc hæreret. Apud infantem, ex febre ardente, variis ſtipata ſymptomatibus, mortuum, cui tumidum fuerat hypochondrium dextrum, ſimulque facies atque oculi flavedine tincti, magnum in ductu hoc lumbricum repertum fuiſſe in cl. *Lieutaudii* Hiſtoria anatomico-medica, quam cl. *Portal* edidit ſuisque obſervationibus auxit, legitur (s). Obſervaverunt in ductibus biliariis hærentes lumbricos plures alii Medici illu-

ſtres.

(s) Tom. I. pag. 210.



ſtres. Ramo hepatici ductus incuneata hæc inſecta vidit cl. *Pallas*. Lumbricum ſpithamam longum in choledocho canali detexit laudatus jam *Galenus Wierus*. Binos in hepatico et cyſtico ductu invenit cl. *Nebel*, ſuasque obſervationes *Actis Naturae Curioſorum* Tom. V. obſ. 112. inſeruit. Similis inſuper viſorum in choledocho ductu lumbricorum hiſtoria habetur in *Ephem. Nat. Curios. Dec.* I. *ann.* I. *obſ.* 50.

En rurſus integram cauſarum ictero generando aptiſſimarum nubem! Periodicum



dicum: nonnullæ ex his icterum creant, ut lumbrici, phlegmone, calculi, ſimulque dolores creant enormes, vomitus, febres, convulſiones, aliaque dira ſymptomata, qualia et epidemium noſtrum morbum concomitata ex parte fuiſſe, ſupra monuimus. Omnes autem periodicas morbi arquati ſpecies a calculis veſicæ felleæ derivandas et inſanabiles renunciandas, uti hoc *Baglivio*, *Valisnero*, *Scheffelio*, ipſoque *Swietenio* (t) credere libet, nimium fortaſſe foret.

I Quod

(t) Comment ad aphor. *Boerhaavii*, Tom, 3. pag. 134.



Quod si vero dolorum in morbo nostro sensationem stringentem, convulsivam, eorum ab infimo ventre ortum, progressum ad superiora, transitum ad ventriculum et cardiam, præcipitem morbi absque prægressa alia externa manifesta causa invasionem, summam statim violentiam, celerem subinde fugam, et subitum paroxysmi recursum, cum doloribus a calculo felleo, meatui choledocho impacto, nascentibus comparemus, qui scindentes et lancinantes esse, qui sedem in hypochondrio dextro fixam

occu-

occupare, qui per gradus ad summam violentiam, absque ulla symptomatum remissione augeri, quinimo ad dorsum, scapulas ipsumque jugulum diffundi (u), nausea tandem vomitibusque gravissimis, ad ileum nonnunquam accedentibus, stipari solent, patet facile, ex calculis talibus, qui præter hæc senio, quam teneris ætatibus, familiores esse observantur (v), morbum hunc progenitum non fuisse. Conferri pro distinctione colicorum dolorum ab iis, qui a calculo cystico

 cientur,

(u) *Bezold* dissert. cit.
(v) *van Swieten* l. c. p. 132.



cientur, omnino hic meretur Tractatus ille, quem Anglico sermone *de concretionibus biliosis* scripsit cl. *Coe* (w). Cystidis vero affectiones ab hepatis phlegmone vel abscessu dignoscere docuit optime *Petitus* (x).

Neque et propter febris inflammatoriæ absentiam, pulsumque in nostro morbo tardum, parvum et contractum de phlegmone organorum biliariorum vel cogitare licebat; uti nec de aliis, vel cysti-

dis

(w) cap. 3. p. 142.
(x) Memoires de l' Academie de chirurgie Tom. I.



dis ipsius, vel ductus ejus excretorii defigurationibus, quæ omnes chronicis potius morbis producendis aptiores judicantur.

Aliam regii morbi causam ipsa bilis præbet, a sana et naturali sua crasi recedens. Fertilissima hæc icteri mater est, diversasque producit, pro vario corruptionis suæ gradu, hujus morbi species, periculosas omnes, longas et difficilis sanationis. Sed quum in substrato casu nullum præcesserit organorum bili parandæ sacrorum notabile vitium, nullum



vel chylificationis vel nutritionis læsæ ſignum, nulla circuli humorum per abdomen interrupti vel remotiſſima nota, nulla denique illorum, quæ a bile morboſa acri, viſcida, putri, flava, exuſta, humoribus reliquis vel affuſa, vel ductus proprios obturante, in actiones vitales, animales vel naturales redundare ſolent, damnorum, per ſua ſigna ceteroquin facile detegendorum minima ſuſpicio, ideo et hanc quoque in noſtro morbo inſontem merito renunciamus. Confirmavit hoc inſuper fruſtraneus re-

mediorum

mediorum resolventium, aperientium, bilemque spissam fundentium, sub varia forma adhibitorum, usus.

Una superest bilis prava constitutio, ad nostrum casum fortassis referenda, dolorum atrocium, colicorum, spasmodicorum, diarrhoeæ biliosæ, convulsionum, morbique arquati interdum causa; tenuitas bilis morbosa. Solvitur nonnunquam a veneno, miasmate nocivo, febre intensa, tabo putrido, vel ab organorum cholopoieticotum, vasorumque cystidis absorbentium labe bilis, tantamque ac-



quirit tenuitatem, ut ipſo ſero dilutior (y) a vaſe ſuo non coercenda, vel diffluat in vaſa vicina lymphatica, ſicque ſanguini admisceatur, vel per poros cyſtidis transſudet (z) appoſitaque ſibi inteſtina acri ſuo et mordaci ſtimulo irritet, ad ſpasmos provocet, variaque ſic produ-

(y) *Regn. de Graaf* de ſucco pancr. cap. 8. *Godart* journal de medicine T. 18. menſ. apr. 1763.

(z) *Tulpii* obſ. lib. 2. cap. 27. *de Haen* Rat. med. tom. 10. p. 31. Jpſa abdominis externa integumenta a bile per poros cyſtidis colata croceo colore interdum tingi notant *Miſc. Nat. Cur. Dec.* 2. *ann.* 1672. *obſ.* 100. *Reverhorſt* de motu bilis § 25.

producat ex his progerminantia mala, ſæpe fatalia. Rodit hæc in abdomen effuſa bilis non ſolum externas inteſtinorum membranas, teſte *Hoffmanno* (a) easque ad putredinem cito diſponit, cuius rei exemplum *Ephemerides phyſico medicæ Germanicæ ann.* 3. *obſ.* 100 ex relatione *Fribenii* exhibent; ſed reſorpta quoque et in cavum inteſtinorum ipſum penetrans corrupta eo gradu bilis graviſ-

(a) Oper. tom. 5. cap. 3. obſ. 3. p. 278.



ſima ibi producit ſymptamata (b); ſanguini autem affuſa affectiones creat, morte utplurimum terminandas. Sola nobis hic exemplo ſit icterica, inſulis Caribæis zonæque torridæ endemica febris, maligna, maximeque pernicioſa, Anglis *the yellow fever* dicta. Hæc teſtibus cl. *Markittrick*, *Wiliam Hillary*, *Huck*, *Linning*, a ſoluta in putrilaginem et admixta humoribus reliquis bile naſcitur. Quanta hic totius microcosmi pertur-

(b) *Guettard* in Comment. Acad. Scient. Paris. 1759. *Stalpart van der Wiel*. cent 1. obſ. 47. p. m. 204. conf. *v. Swieten* comment T. 3. p.97



perturbatio! quam præceps deſtructio! quæ ſymptomatum ferocia! Perlegiſſe non poenitebit *Ioh. Moultrie* Diſſertationem *de febre maligna bilioſa Americæ* a cl. *Baldingero* de novo editam. Neque mirum; adeo nocivam enim ſoluta ſic, præſertim a putredine, bilis naturam induere poteſt, ut præſentiſſimun animalibus venenum fiat. Refert exemplum tale cl. *Morgagni* in libro de cauſis et ſedibus morborum per anatomen indagatis Tom. 2., ubi non ſolum cultellus bile hujusmodi madidus variis animali-

bus



bus lethalia intulit, quamvis cutim vix penetraſſent, vulnera, ſed paucæ quoque guttulæ, pani instillatæ et ingeſtæ, animal cito trucidaverunt. Notat idem in inſtitutionibus phyſiologicis *Hallerus*.

Tanta autem bilis a ſtatu naturali aberratio, quum absque notabili viſcerum prægreſſa labe, tam per propria ſua ſigna, quam per læſas exinde corporis functiones diverſas, facile dignoſcenda, contingere nequeat; horum autem omnium in epidemico noſtro morbo ne veſtigium quidem obtinuerit, et ex hac cau-

ſa

ſa icterus noſter neutiquam proxime prodiit.

Reſtat alia adhuc morbi arquati, nec infrequens omnino cauſa, monſtroſa nempe partium, cyſtidi felleæ et ductui choledocho vicinarum, configuratio præternaturalis, qua mole enormes ductum bilis excretorium vel arctant, vel omnino claudunt. Sic v. gr. ab extenſione inteſtini duodeni a flatibus interceptis et compreſſo ſic biliario ductu icterum genitum *Sylvaticus* notat (c). Nec difficilem hanc flatuum interceptionem alicui

(c) cent 3. obſ. 4.



visuram existimo, cui intestini duodeni ter geminam reflexionem, recurvum ductum, locumque, quem occupat, undique miro modo circumscriptum ex anatome novisse obtigit. Pauci ex anatomicis apocryphum hunc duodeni situm rite extricaverunt, sive ex neglectu, vel difficultate rei factum fuerit, non inquiram. Hoc solum hic notasse expedit, dignissimam lectu et applausu illam dissertationem esse, quam *de duodeno plurium malorum sede Hoffmannus* dedit. Icterus a pyloro scirrhoso exitum bilis in duodenum praepediente

pediente in *Actis Helveticis Tom.* 5. le-
gitur. A flatibus, inteſtinum colon dis-
tendentibus ductumque choledochum
arctantibus, icteri exemplum tradidit
Bonetus (d). A pancreate ſcirrhoſo eun-
dem hunc morbum productum memo-
rat *Thomas Bartholinus* (e) celebrisque
Galeati (f). Ab ejusdem huius viſceris
infarctu morbum regium genitum refert
citatus jam ſæpe *Bonetus* (g). A ductu

pancrea-

(d) Sepulchret. anat. tit. de febr. lib. 4.
(e) in Actis medicis ann. 1674-76
(f) in commentariis Bononienſibus Tom. 4. art. 2.
(g) Sepulch. anat. tit, de vomitu lib. 4.



pancreatico, materia tophacea calculosa oppleto et extenso sic, ut totum simul choledochum ductum compresserit, bilisque effluxum omnino prohibuerit, icterum natum ex demonstratione cl. *Meckelii* recenset D. *Koreff* (h). A variis lienis vitiis icterum generari docet *Vesalius* (i). A liene calculoso icterum vidit cum *Fontano* (k) *Bonetus* (l), qui et

(h) Diss. inaug. quæ theoreticam considerationem icteri, novis quibusdam caussis simul superstructam, exhibet Halæ 1758.

(i) De humani corporis fabrica lib. 5. cap. 9.

(k) Respons. et cur. p. 90.

(l) Loc. sæpe cit. lib. 4. tit. de cachexia.

et a corrupto liene auriginem naſci obſervavit. A venarum meſentericarum infarctu icterum productum narrat *Helmontius*. A glandulis induratis, ductum cyſticum comprimentibus, arcuati morbi geneſin deſcribit laudatus jam *Bonetus* (m). A ſcybalis duris, in inteſtinis, præcipue colo, accumulatis, ductum choledochum aliquando comprimi et fieri icterum, cenſet cl. *Swietenius* (n). A tumore hydropico tubæ Fallopianæ enormi compreſſum excretorium bilis du-

(m) loc. cit. tit. de febribus.
(n) Comm. in aphor. Boerhaavii § 918.



tum icterumque progenitum memorat *Dekkerus* (o). Taceo plura alia notata ab obſervatoribus icterorum, a ſimilibus cauſis natorum, exempla. Hoc unum ſolum addam; naſci nonnunquam in gravidis ultimo geſtationis tempore icterum; urgente adeo partes abdominales ſibi vicinas utero, ut compreſſus choledochus ductus bilis in duodenum viam intercipiat (p). Hæc autem auriginis ſpecies

ſtatim

(o) Exercitat. pract. cap. 8. § 689.
(p) *van Swieten*, l. c. p. 95. *Hoffmann*, Oper. Tom. 7. p. 374. *Storch*, 4. Medicinischer Jahrgang p. 231.

ſtatim poſt excluſum in partu fœtum ſponte ſolvitur.

Omnia autem hæc et ſingula, quum viſceris cujusdam abdominalis deturpationem ſolennem prægreſſam ſupponant, in præſenti autem caſu, ratione habita morbi ejusque ſymptomatum, de labe aliqua latente organica alicujus viſceris, uti ſæpe jam monuimus, non conſtit, hanc quoque cauſarum claſſem merito præterimus, feſtinaturi ad aliam non minus fœcundam icteri matrem, ſpaſmodicam nempe partium bili vel ſegregan-



dæ, vel excernendæ destinatarum stri-cturam.

Frequens hæc icteri causa, et frequentior quam vulgo creditur. Mirum profecto, quod magni quoque artis nostræ viri de hac ne quidem cogitaverint; potius ingenia sua anxie torserint ad explicanda varia morbi regii symptomata; quæ tamen ex spasmo partium deduxissent et certius et facilius. Hæc illa icteri causa est, quæ in cadaveribus hominum ab hoc morbo exstinctorum nullum sæpe sui vestigium relinquit, visceraque

omnia



omnia exhibet saniſſima, cujus phæno-meni exempla plura memoriæ prodiderunt *Morgagni*, *Mangetti*, *Bonetus*, *Gaber* (q).

Ut autem clarior lectori ſim, nonnulla, quæ ad pleniorem mox dicendorum intellectum circa fabricam organorum biliariorum ſcitu neceſſaria judico, paucis hic exponam.

Secernitur in hepate ſingulari artificio bilis. Hæc per vaſa ſingularia, a veteri-

(q) Miſcell. philoſ. mathem. Tom. I. ann. 1759. p. 75. Conf. *Hoffmanni* oper. T. 7. c. 12. § 8.



bus *pori biliarii vocata*, ductui hepatico, ex prioribus compoſito, infunditur, per quem ſub *bilis hepaticæ* nomine vel recta in duodenum abit, vel in cyſtidem delabitur, ubi, loci calore fota particulisque ſuis fluidioribus caſtrata, *bilem cyſticam* conſtituit, pariter duodeno deſtinatam. Triplex ergo revera bilis erit, hepatica pura, cyſtica pura, et quæ ex utraque hac in choledocho mixta naſcitur, ſecundum naturam duodeno infundenda.

Cyſtis ipſa, inferiori concavæ hepatis

parti



parti appenſa, vas eſt membranaceum molle, extenſile, pyriforme, ex baſi vel fundo latiori in anguſtius collum deſinens, quod in *ductum cyſticum* continuatur. Canalis hic aliquantum progreſſus ad *ductum hepaticum* accedit, cumque hoc conjunctus *ductum communem choledochum* format, duodeno inſerendum.

Structuram veſiculæ felleæ ductuumque propriam quod attinet, ſimilem illam nacti ſunt cum duodeno, ſed teneriorem. Easdem numerant, iisdem uſibus deſtinatas, tunicas, exteriorem com-

munem a peritonæo productam, muscularem alteram, ex fibris longitudinalibus, spiralibus et sese invicem varie decussantibus compositam. Negat has cystidis felleæ ductuumque biliariorum fibras musculares in Dissertatione sua inaugurali, quæ singularia quædam sistit, ad vesicam felleam ejusque bilem spectantia D. *Lorentz*, sententiam præceptoris sui, *Cassebohmii* forte secutus. Vellem autem, majore moderatione in defendenda hac, ipsi autopsiæ contrariante thesi, esset usus, virisque et candore et subtilitate anatomica

ce-

celebribus pepercisset magis. Tunicam hanc muscularem tertia excipit nervea seu vasculosa, vasis omnium ordinum ditissima. Quæ internam tandem superficiem tegit, quarta, villosa est, jugis variegatis plexuosis, varie revolutis ita concinne distincta, ut reticulata ab anatomicis vocari meruerit. Notandum tamen, tunicam hanc villosam in ipso choledocho ductu teneriorem multo observari, quam in cystide ipsa.

Memorabilis profecto modus est, quo choledochus hic ductus duodeno jungitur.



Simulac ad primam circiter flexuram intestini ductus hic pertingit, externa ſtatim ejus tunica tunicæ duodeni extimæ continuatur; quo facto muſcularem alteram ab eodem hoc inteſtino ſimiliter mutuat. Tranſeunt nempe a muſculari tunica duodeni, quot ad formandam membranam muſcularem cyſtidis ductuumque biliariorum requiruntur, fibræ, deſcendunt ad ipſum veſicæ felleæ fundum, unde reduces in fibras muſculares inteſtini denuo continuantur. Aliæ longitudinales duodeni muſculares fibræ ab in-

vicem secedentes ductum ipsum intercipiunt, sinu fovent, plicamque istam formant, quæ in interna duodeni superficie, hic loci conspicua, ostiolum excretorii hujus ductus velat, illudque, si a quacunque causa fibræ hæ tendantur, omnino claudit. A spiralibus intestini fibris muscularibus nonnullæ statim ipsi ductui choledocho impenduntur, ad imam cystidis basin producendæ; aliæ, ostiolum hujus ductus circumambientes, sphincteris officio prius funguntur, antequam cum sociis suis ductum communem in-

trent.



trent. Par omnino ratio eſt tunicarum reliquarum tam nerveo vaſculoſæ, quam villoſæ. Continuantur etiam hæ in membranas ductus choledochi, eique ut et cyſtidi felleæ vaſa ſua et nervos communicant. Nacta tamen eſt cyſtis ejusque ductus ex hepate quoque tam vaſa quam nervos.

Sufficient hæc pro noſtro ſcopo. Vidimus ſenſus inſtrumenta, nervos. Vidimus et motus inſtrumenta, fibras copioſas muſculares. Vidimus partium mirabilem nexum. Spaſtice ergo conſtringi

poſſe



poſſe partes jam memoratas, poros biliarios, ductum hepaticum, cyſtidem felleam ipſam, ductum cyſticum, communemque choledochum canalem, vel ſingulas, vel conjunctim omnes, vel unam vel alteram ex his, intactis reliquis, ex antecedentibus manifeſto conſtat. Neque deſunt natorum ex hac cauſa icterorum exempla. Sic ab hepatis conſtrictione ſpaſtica regium morbum a ſe viſum aſſerit *Helwigius* in hiſtoria morborum, qui ab anno 1699 ad 1702 Vratislaviæ graſſati ſunt. A ſpaſmodica capſulæ *Gliſſoni-*



anæ ſtrictura icterum productum notant *Commentaria Norimbergenſia* ann. 1733 hebd. 2. (r). A contracto per ſpaſmum ductu cyſtico arquatum morbum *Veslingius* vidit, citatusque jam ſæpe *Morgagni* (s). Conſtrictum in bivio ſuo biliarem ductum, inſuperabilem icteri cauſam, in *monitis medicis* notat cl. *Mead.* Natarumque ex convulſiva choledochi ductus coarctatione auriginum exempla alia dederunt *Hoffmannus* et *Morgagni.*

Quæ-

(r) conf. *Morgagni* Epiſt. anat. 37. art. 10.
(s) l. c. art. 10. it. *Storchius* libr. de morb. inf. Tom. 1. art. 26. p. 382.

Quælibet ſic conſtricta pars icterum producit ſui generis, ab alio diverſum, per colorem, quem corpori externo conciliat, dignoſcendum. Aliam enim hepatica bilis, aliam cyſtica, aliam mixta, aliam ſana, aliam per varios gradus morboſa bilis flavedinem corporis externo habitui inducit, ſi cum humoribus miſceatur. Varias has colorum in ictericis diverſitates a dilutiſſima flavedine ad nigrorem fere usque, optime *Aretæus* exhibuit in libro ſuo de cauſis & ſignis morborum diuturnorum l. 1. c. 15. ad



quem ergo brevitatis causa lectorem ablego. Firmius autem feremus de loco sic affecto iudicium; si simul ad fæcum alvinarum colorem habita ratio fuerit. Sic v. gr. fæces alvinæ gryseæ, siccæ, ductum choledochum, simul cum ostio suo, quod in duodenum hiat, constrictum arguunt. Jdem hic communis biliaris ductus, prope bifurcationem suam clausus, fæces exhibebit gryseas, chylosas. Ductus cysticus ante conjunctionem suam cum ductu hepatico in cystidis vicinia spasmodice contractus, vel alio

modo

modo obstructus, excrementa straminea dabit; quum simili modo affectus vel hepaticus ductus, vel biliarii aliquot pori, nullam omnino fæcum decolorationem comitem habeant; quamquam icterum nihilo minus generent.

Spasmodicæ hæ stricturæ, quas obtinere non raro in systemate biliario ex antecedentibus jam vidimus, duplici ratione fiunt; vel *idiopathice*, a causa ipsis his partibus male affectis inhærente, morbosa; vel *sympathice*, a causis alibi quidem latentibus; quarum tamen effe-



etus in has quoque partes per consensum transiit.

Prius fit 1) dum bilis acrior, atra, putris, internam et maxime sensilem organorum biliariorum tunicam rodit partesque sic ad stricturas violentas determinat; 2) dum calculus vel hepaticus vel cysticus, angulosus, quales hi omnes esse solent, margine suo acuto teneras memoratorum canalium membranas forti stimulo lacessit, sicque ad contractionem spasmodicam involuntariam provocat; 3) dum post violentam a pertransitu calculi majoris

poris natam horum ductuum extensionem, spasmus insequens eos præter naturam arctat. Cujus exemplum *Iunckerus* in verbi divini quodam ministro vidit, qui post excretum inter dira symptomata prægrandem cholelithum, per decem dies continuos icterum sustinuit, nulla arte solubilem; 4) dum vermes, vel in hepate, vel in vesica fellea hospitantes, vel morsu vel agitationibus suis, internas harum partium irritabiles maxime parietes lacessendo, ad spasmodicas contractiones illas sollicitant; 5) tandem



idiopathice per ſpasmum conſtringitur biliaris ductus, ſi, uti jam in antecedentibus notavimus, nimium extendatur ipſa bilis veſicula. Morbus hic, admodum pertinax, difficillimæ ſanationis, periculique pleniſſimus eſt. Clauditur in hoc caſu arctiſſime cyſtidis collum, ſtringiturque ſic, ut crepare potius ſelleam veſiculam, quam unicam contenti liquidi guttulam dimittere videamus. Curam hujus affectus, ejus diagnoſin, ipſamque cyſtotomiæ operationem, optime exhibuit cautelasque neceſſarias adjecit. cl.

Petit,

Petit, ubi ex fonte ipſo haurire poterit lector. Omnium autem citatarum mox icteri ſpasmodici idiopathici cauſarum, quum in epidemico noſtro morbo obtinuerit, manifeſtis hoc docentibus ſignis, nulla, neceſſario unus ille, qui reſtat, ſtricturæ ſpasmodicæ modus, nempe *conſenſualis* arquatum noſtrum intermittentem morbum produxiſſe merito cenſendus.

Rapi in mutuos conſenſus partes humani corporis, etiam diſſitiſſimas, unanimis medicorum obſervatio eſt, primæ



artis infantiæ jam coæva. Stupens universalem hanc totius microcosmi ſympathiam admirabundus jam *Hippocrates* exclamabat (t) *Confluxio una! conſpiratio una! conſentientia omnia!* Pulchre conſenſum hunc partium extricavit cl. *Rega* in libello ſuo laude noſtra majore de hoc themate conſcripto, exhibuitque varios hujus ſympathiæ modos cl. *Rocholl* in Diſſertatione inaug. *de conſenſu primarum viarum cum perimetro corporis humani.*

Recen-

(t) Libr. de Aliment. § 4. p. 595.



Recensebimus hic principes hujus confraternitatis causas; deducturi ex his, quo pacto et fellea cystis biliariique ductus in partium vicinarum morbosam trahantur societatem.

Prima consensus mutui partium causa habetur *nexus nervorum.* Qui a communi radice cerebro ejusque oblongata medulla enati omnes, et in universas corporis partes miro subtilitatis artificio diffusi, totum corpus amico inter se vinculo ligant, ita, ut lacessita quacunque ejus vel extima parte, in remotissimam non solum



nictu oculi citius tranſeat ingrata appli- cati ſtimuli ſenſatio (u); ſed ut reactio quoque violenta, quam ſpasmum voca- mus, non raro exinde producatur. Sic circumſcriptus ille, pollicare ſpatium vix occupans, capitis dolor fixus cum frigoris ſenſu generaliter conjunctus, quem clavum hyſtericum vocant, ab ute- ro male affecto ut plurimum pendens, (v) ab hac cauſa derivatur. Referendæ non minus huc erunt epilepſiæ illæ infantum,

a

(u) *Halleri* Elem. Phyſiol. Tom 4. pag. 322.

(v) *Ettmulleri* Colleg. pract. p. 464. *Langii* Epiſt. Med. L. 1. p. 246.

a dentitione difficili (w); aphonia illorum a vermibus (x); paralysis illa totius sinistri lateris, quam a renum calculo, exitum moliente, productam vidit *Haenius* (y); tussis illa convulsiva, quam in virgine quadam toties nascentem observabat *Robertus Whyt*, quoties in lineam rectam extenderet crus (z); spasmus ille inferioris maxillæ (Mundklem-

 me)

(w) *Hoffmann* Med. Rat. Syst. Tom. 4. Sect. 2. Cap 5. . p. 326.
(x) *Rega* Tract. de consensu part. cap. 8. p. 137.
(y) Method. med. in nos. pract. Tom. 4. cap. 8. no. 5.
(z) Tractatus de morbis nervosis cap. 1.



me) quem a clavo inter metatarsi ossa infixo *Cleophane* memorat (a) quemque a tendine digitorum flexore lacerato genitum in observationibus modo citatis medicis anglicis tom 1. art. 1. *Sylvester* refert; omniaque tandem illa symptomata, quæ a puncto tendine totam circumagunt corporis compagem (b). Conferri hic meretur cl. *Raulin* Traitè des affections vaporeuses du sexe &c.

Altera consensus partium causa sita est in

(a) Medical observations and inquiries Tom. 1. art 7.

(b) Conf. *Ambros. Paræi* observ. de Carolo IX. Rege Galliæ

in speciali quodam *nexu vasorum*. Hinc partes illæ, quibus ex communi vel affini trunco vasa sanguinea accepisse obtigit, morbos sibi suos, sensationesque vividiores communicant. Sic uterum cum mammis conspirare vel mulierculis nostris notissima res est. Derivat hunc consensum a sanguine ab utero resiuo auctor nuclei Hippocratis Aphor. Cent. III. aph. 44. Videmus flaccescere instante abortu mammas (c) et emarcescere mortuo fœtu (d). Post suppressionem mensium,

(c) *Hippocrat.* Aphor 37. & 53 sect. 5.
(d) *Röderer* Elem. art. obstetr. Cap. 16. §. 380.



ſium, fiat hæc a morbo, vel a gravidi-tate, mammarum intumeſcentia ſequi-tur, creſcunt illæ, et dolent interdum (e). Viciſſim, ſi nimium doleant ab in-greſſu lactis, præſertim in primiparis, mammæ, ſupprimuntur lochia (f). Eo-dem hoc fundamento nititur ille, quem inter lienem et jecur intercedere no-vimus conſenſus (g). Jungitur ſimili modo cum ventriculo lien, ita ut uno

ex

(e) *Rœderer* l. c. Cap. 7. §. 124. & 140.

(f) *Rega* de Conſenſu partium Cap. 15. pag. 205.

(g) *Baglivii* Praxis p. 373.



ex his visceribus vitiato, transeat mox in aliud morbus (h); cujus exempla plura collegerunt *Wedelius*, *Dolæus*, *Hoffmannus*, *Stahlius* aliique.

Singularis ex hoc vasorum nexu, circulique humorum mutatione præternaturali proveniens icteri causa est capitis vulneratio. Contingit sæpe, vitiari post vulnera cranii penetrantia, felicissime licet jam sanata, hepar. Dedi ipse in descriptione constitutionis nostræ epidemicæ hujus rei exemplum. Dederunt

(h) *Morgagni* Epistol. anat. 36. art. 28 pag. 72.



unt plura *Bertrandus*, *Browne Cheston*, *Pouteau*, alii. Hinc aurigines quoque exinde nasci mirum nemini videbitur. Notavit a læso capite icterum cl. *Baldinger* in Tractatu de morbis castrensibus additque simul, lethale ut plurimum symptoma fuisse post prœlium Kesselsdorfinum capite vulnerato militi Austriaco supervenientem icterum. Confirmant hæc experientia sua *Bartholinus* et *Hoechstetter*.

Alius partium consensus fit per *continuationem* seu *propagationem membranarum*

et telæ cellulosæ. Ex hoc fonte magni sane emergunt et stupendi in microcosmo effectus. Hinc oris, nasi, faucium totiusque intestinalis tubi commercium non leve; pruritus narium a vermibus, vel alia causa intestina irritante (i); vomituritiones ab irritatis faucibus; labii inferioris tremor a disposito ad vomendum ventriculo (k); tormina, alvinique fluxus et dejectiones acidæ ab irritantibus gingivas dentibus erupturis (l);

glandis

(i) *v. Swieten* Comment. Tom. 4. p. 713.

(k) *Piso* libr. 3. part. 7. cap. 7.

(l) *Hoffmann.* M. R. S. Tom. 4. sect. 2. cap. 5. p. 326.

glandis penis dolor et pruritus a renum, ureterum vel veſicæ affectionibus, præſertim calculoſis (m). Magna ex eodem fonte fluit conſenſio illa inter externum corporis corticem et primas vias; de qua uberius *Rocholl* et *Bonn* (n). Hinc colici illi dolores, quos ex pedum refrigerio graviſſimos vidit *Braſſavolus*; iſchuriæ illæ, quæ a rigore tetanoide oriuntur, quarum *Hippocrates* meminit in Coac. Prænot. 25. & 29 edit. *Foeſii* it. *Bellini* in libro de urinis ad § cit. p. 54; pareſes illæ a

(m) *Haller* prim. lin. phyſiol. p. 395.
(n) Diſſert. inaug. de continuatione membranarum. Lugd. B. 1763.

a doloribus colicis ſpasmodicis, quarum *Ettmüllerus* in collegio practico meminit p. 160; paralyſis illa artuum, quam a doloribus colicis notavit in notis ad *Poterium Hoffmannus* p. 101, quamque ex incautius exhibita jalappæ reſina *Rega* vidit (o). Eandem plane cauſam agnoſcit nata ab incauta pedum refrigeratione aphonia, quam *Hoffmannus* deſcribit (p), facilisque tranſitus dolorum arthriticorum in colicos, colicorum in articulares (q). Nituntur hoc fundamento curationes

M illæ

(o) Libr. iam cit. cap. 16. pag. 279.
(p) Loc. cit. Tom. 4. cap. 7. obs. 2.
(q) *Hippocrates* Libr. de humoribus in fine.



illæ, multis apocryphæ visæ, ubi externis corporis partibus, ad internos sanandos morbos, apponuntur medicationes. Dum v. gr. *Savanarola* serenissimum Ferraræ Ducem alvi obstructione pertinacissima, omnibus adhibitis remediis renitente, loborantem, infusa pedibus aqua gelida sanabat; quamque methodum felicissimo cum successu imitatus est cl. *Pringle* illustrisque *Stevenson* (r). Hinc tanta pediluviorum ad obstructiones spa-

smos-

(r). vid Acta Eduaburgensia. Tom. 5. Art. 77.

ſmosque inteſtinorum reſolvendos virtus eſt, quam *Hoffmannus* (s) prædicat, expertusque eſt in colica bilioſa convulſiva *Robert Porter* (t). Lectu per quam digna circa hanc rem diſſertatio illa eſt, quam de ſpasmo externorum ratione ad viscera indeque oriunda morborum complicatione Halæ 1762 conſcripſit cl. *Strümphler*. Profecto claram hujus nexus ideam habere medico practico convenit in variis et periculoſis

 acutis

(s) M. R. S. part. patholog. morb. ſpec. tit. de ſpasmis et convulſionibus particularibus ſect. 2. cap. 5.
(t) Act. Edimb. Tom. 3. obs. 27.



acutis morbis, præſertim exanthematicis.

Quarta conſenſus ratio *in ſimilitudine fabricæ et officii* ſita eſt. Hæc organa ſe-et excretoria arctiſſimo inter ſe vinculo ligat. Sic, rene uno male affecto, compatitur alter (u); uno ſpasmodice conſtricto, vel obſtructo, officii ſui immemor fit quoque alter (v); dolente uno condolet alter (w). Jdem circa

(u) Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre vol. 5. part. 26. no. 6.

(v) *Ettmüller* colleg. pract. p. 209. *Forcſt* libr. 24. obs 26. *Marchetti* anat. cap. 5. *Riolan* Anthropol. L. 2. cap. 26.

(w) *Baglivi* Anat. fibr. f. 420.

circa oculos obtinet. Dolere et rubere videmus unum, si irritetur alter; phlegmone affecto uno, inflammari et rubere alterum (x). Quin illum quoque consensum, quem inter renes et hepar intercedere toties observamus, ex hoc fundamento, similitudine nempe fabricæ, derivare nititur in Historia Acad. Reg. scient. Gall. a. 1749 cl. *Ferrein.*

Trahuntur tandem in mutuos consensus partes sibi *vicinæ*; transit ex una in aliam sensatio læta, dolor, spasmus,

(x) *Rega* Loc. cit. cap. 18. p. 318.

morbus qualiscunque, mors. Sic amiciſſime inter ſe conſentiunt ventriculus, hepar et ſeptum transverſum (y). Hinc tuſſis illa convulſiva naſcitur a materia acri in ventriculo hærente, quam emeſis curat, notante *Hoffmanno* (z), viceque verſa vomitus a tuſſi violenta. Sic vermes inteſtina mordentes ſæpe dolores producere viſi ſunt pleuritidem mentientes; advertentibus hoc *Ballonio* (a),

Gabu-

(y) *Vieuſſens* Neurolog. p. 184.
(z) M. R. S. Tom. 3. ſect. 1. cap. 5. § 28.
(a) Epidem. Libr. 1. pag. 21.

Gabucino (b), *Riverio* (c), *Hoffmanno* (d), *Pringlio* (e), *Baldingero* (f), *Hannesio* (g) *Lentino* (h) aliisque; ansamque hæc materia cl. *Delio* dedit dissertationis suæ inaug. *de consensu pectoris cum abdomine.* Pertinet huc ischuria illa, quam a male affecto utero nasci ob-

(b) vid. Boneti sepulch. lib. 2. sect. 4. obs. 38.
(c) Observ. cent. 1. obs. 75.
(d) Med. rat. syst. T. 3. sect. 1. cap. 7. § 53.
(e) von den Krankheiten einer Armee, cap. 4.
(f) von Armeekrankheiten p. 277.
(g) de puero epileptico foliis aurant. rec. serv. p. 15.
(h) Observ. med. fasc. 1. obs. 20.



servavit *Blum* (i); dysuria ab ulcere intestini, cujus historiam *Zwingerus* exhibet in Actis Helvet. Physic. Mathem. Vol. IV p. 231; urinæque tenues a constrictis tubis renalibus bellinianis per consensum a spasmis intestinorum natæ. (k). Simili modo afficiuntur a vesicæ morbis intestina ipsa. Spasmos eorundem a calculo vesicæ notavit *Langius* (l). Alvi adstrictiones ab inflammatione

cystidis

(i) Differt. de ischuriæ causis Helmst. 1736. § 20. p. 17.
(k) *Hoffmann* loc. cit Tom IV sect. II. cap. 2. obs. 1. p. 241.
(l) Epistol. Med. 45. p. 198.

cyſtidis urinariæ vidit *Bausnerus*; refertque inter communia calculi veſicæ ſymptomata flatulentias, nauſeas et vomitus *Hoffmann* loc, ſæp. cit, tom. III. ſect. 1. cap. 5. § 29.

Jn omnibus ergo corporis partibus, ubi ex memoratis his conſenſus mutui cauſis una vel altera adeſt, ſympathia quoque nascitur manifeſta, ſic ut unius partis affectiones tranſeant in alteram; idque tanto certius et citius, quo plures memoratarum communicationum modi ſimul obtinent. Quanta ergo in-

tercedet inter illas partes amicitia et fraterna communio, ubi omnes illæ hujus commercii causæ confluunt in unum? Et revera inter ductus biliarios et canalem intestinorum omnia hæc deprehenduntur, recensita jam, nexus intimioris mutui genera. Communes partibus his sunt ex pare octavo et intercostali nervi (m). Vasa sanguifera ex eodem fonte ventriculus, duodenum, choledochus ductus, et partim cystis hauriunt.

Propa-

(m) *Willisius* de cerebro cap. 24 & 25 tab. 11. *Hoffmann.* Patholog. morb. spec. sect 2. cap. 6. § 9 p. 412.

Propagantur duodeni omnes membranæ in ipsas ductuum biliariorum cystidisque tunicas. Par ambobus est fabrica; officium simile; vicinitas appositissima. Quid ergo mirum, si quovis modo affectus vel ventriculus, vel intestinalis tubus, pathemata quoque sua ductui biliario cystidique communicet, et quidem promtissime. Sic irritatis v. gr. per purgantia intestinis, elicitur e receptaculo suo quoque bilis, excernitur per alvum. Jncitato ad vomitum ventriculo, statim post aliquot factas evacuationes, emul-



getur ſimul duodenum, et cum hoc or-gana quoque biliaria; eructant hæc liquida ſua contenta in duodeni cavum, unde mox retrogrado motu ſurſus in ventriculum rapta per vomitum ejiciuntur. Hinc eſt, quod ipſas quoque calculoſas veſicæ felleæ concretiones hac methodo ex cyſtide prolici, in ventriculum elevari, vomituque reddi ſubinde videamus. Sic rejectos vomitu, per exhibitum corticem ſambuci medianum excitato, viginti ſelleos calculos vidit in icterico quodam *Hoffmannus* (n) cum auri-

(n) Med. rat. ſ. tom. 4. ſect. 2. cap. 3 obs 2.



aüriginis insecuta sanatione. Simile evacuatorum per emesin calculorum exemplum in operibus suis adfert ex communicatione *Henrici Rufi*, Medici Sanmarcellensis *Riverius* p. 566. no. 4. Confirmat idem observatis suis cl. *Huxhamius* et qui ex hoc maxime hausit *Thomas Coe* (o). Hæc quoque ratio esse videtur, cur in morbis vesicæ felleæ calculosis vomitum arte provocare, provocatumque per decoctum hordei mellitum tepide hauriendum sustentare do-[illegible] ceat.

(o) Treatise on biliary concretions p. 78.

ceat in Commentariis ad § 950 aphor. *Boerhaavianorum Swietenius.* Sæpe in tranſitu hoc mutuo affectionum morboſarum circulus quaſi fit. Elicitur v. gr. a leviori inteſtinorum, a quacunque cauſa excitato, ſpasmo bilis naturali copioſior; infunditur inteſtinis, irritat hæc, fitque diarrhoea. Emulgetur ab excitato hoc alvi fluxu major adhuc bilis copia; major ergo nascitur tubi inteſtinalis a bilis influxu irritatio, augetur ſpaſmus, nascuntur colici inſuper dolores, qui nonnunquam adeo augentur, ut



in choleram brevi tranſeant, cui ab aucto magis magisque inteſtinorum ſpasmo, productaque hinc ſimili choledochi ductus conſtrictione, icterus non raro ſuccedit. Ex eodem hoc inter partes has obtinente commercio cardialgiæ nascuntur a morbis cyſtidis, auriginesque illæ, quas a variis inteſtinorum irritamentis generari, nunc monſtrabimus.

Omnia ergo illa, quæcunque ventriculo & inteſtinis præternaturalem hujusmodi conſtitutionem imprimere poſſunt, ut in ſpasmodicas ſtricturas conjiciantur,



tur, cyſtidem quoque felleam ductusque biliarios in affectionum harum ſocietatem rapient, bilis in duodenum effluxum impedient, producentque illam icteri ſpeciem, quam *ſpasmodicam deuteropathicam ſeu conſenſualem* appellare placet.

Et revera genitos fuiſſe ex omnibus, inteſtinorum tractum graviter afficientibus, irritamentis icteros, obſervata docent. Sic v. gr. a vomitoriis et purgantibus fortioribus draſticis validos cieri in primis viis ſpasmodicos motus, nota res eſt. Hinc ex hac cauſa icteros quoque

nasci



nasci non infrequens eſt. Referunt nobis genitorum ex hoc fonte icterorum exempla cl. *van Swieten*, (p) *Iuncker*, (q) *Harris*, (r) *Riedlinus*, (s) plures. A deglutito fumo tabaci fortioris, nataque hinc gravi inteſtinorum irritatione, regium morbum productum memorat *Borellus* (t). A potibus aquoſis ardentibus ingurgitatis auriginem creatam

N vidit

(p) Commentar. Tom. 3. p. 91.
(q) Conſp. Med. Tab. 90, 5, 3, 6.
(r) Obſerv. de morbis aliquot gravioribus obs. 9. p. 20.
(s) Lin. Med. Ann. 5. mens. jun. obs. 20.
(t) Cent. 4. obs. 31.



vidit *Hoffmannus* (u). Ab abuſu potuum ſpirituoſorum morbum arcuatum proveniſſe, ſcribunt *Sylvius*, (v) *Riedlinus*, (w) *Hoechſtetter*, (x) *Pechlinus* (y) &c. Notavitque idem in Comm. Norimberg. Ann 1735 hebd. 16 cl. *Stuart* nec non in diariis ſuis medicis cl. *Storchius*(z). A materia dyſenterica, imprudenti conſilio per adſtringentia repreſſa icterum

(u) Patholog. gen. part. 2. cap. 4.
(v) Prax. Libr. 1. cap. 10.
(w) Loco jam citato.
(x) Decad. 10. cap. 6.
(y) Libr. 3. obs. 38.
(z) Achter Jahrgang 1730 M. Januar. pag. 344.

cterum in judæo obſervavit *Carlius* (a) ſimilisque habetur nati ex eadem cauſa icteri hiſtoria in Actis Medicis Berolinenſibus Decad. 1. vol. 9. p. 7. A vermibus, inteſtina tam morſu, quam reptatu ſuo irritantibus, hanc corporis decolorationem factam, in Obſervationibus ſuis recenſet *Platerus* Libr. 3. p. 883. viditque ex eodem hoc fonte arquatum morbum cl. *Hannes*. A meconio in infantibus retento ſpasmos primarum viarum, et ex his icteros generari, rarum

(a) Commerc. Norimb. An. 1735 hebd. 31.



non eſt. Conferri hic poterunt *de le Boe Sylvius* (b) celebrisque *Baglivius* (c). Et produci revera a materia hac acri, internas viscerum tunicas vellicante, icterum, patet manifeſto ex adhibenda huic morbo, ex hac cauſa nato, medela. Simulac enim per congrua remedia eductum meconium fuerit, ſublataque ſic irritatio, ceſſat extemplo morbus teſte *Hoffmanno* (d), *Iunckero* (e), *Baglivio*, &c.

A

(b) Libr. 1. cap. 56. art. 11. 4.
(c) Prax. Med. Libr. 1. p. 83.
(d) Med. Rat. Syſt. Tom 3. Sect. 1, cap. 5.
(e) Conſp. Medic. Tab. 90. 1, 3.



A ſucco uvarum immaturarum acerbo, intemperantius ingeſto, inteſtinis moleſto, morbum flavum progenitum narrat *Hoffmannus* (f). A pomis immaturis comeſtis ictericiam productam memorat *Rhodius* (g). A nimio uſu vini pomacei natam cum colica pictonum auriginem notat *Bonté* (h), genitique ex aſſumtis immodice pyris icteri hiſtoriam commercio literario Norimbergenſi a. 1739 N. 3 hebd.

(f) M. R. S. Tom. 4. part. pathol. ſpec. cap. 12. obs. 8.
(g) Cent. 3. obs. 19.
(h) Journal de Medecine Tom. 15 M. Dec. 2.



hebd. 39 inſeruit cl. *Trew*. A venenis corpori ingeſtis ſimilia proſtant procreatorum icterorum exempla. Nec mirum; hæc enim oeconomiæ animali inimiciſſima violentiſſimos per totum microcoſmum cient ſpasmodicos affectus, horrendaque alia plura ſymptomata, licet ultra pylori limites nondum deſcenderint. A fructibus ſolani comeſtis arquatum morbum ſe obſervaſſe, in inſtitutionibus ſuis phyſiologicis refert *Hallerus*. A fungo comeſto, quem *Vaillant* foliaceis cum caule ſolido ſine annulo annumerat, i-

ctericiam



ctericiam vidit cl. *Monnier* (i); apertumque cadaver coarctatum quam maxime choledochum ductum, constrictaque et inflammata cum ventriculo intestina exhibuit. Recensuit quoque inter dira illa symptomata, ab esu chenopodii hybridi, seu atriplicis sylvestris virosæ stramonii folio producta, ictericium corporis totius colorem *Bernhardus Rust* in Dissertatione sua inaugurali Göttingæ habita de limitanda laude virtutis stypticæ balsami vulnerarii rubri Dippelii et olei

N 4 martis

(i) Histoire de l' Acad. Roy. des sciences An. 1749. art. 12. p. 210.



martis per deliquium. Varios insuper primarum viarum affectus spasmodicos generant suppressæ diversi generis hæmorrhagiæ, sive habituales hæ fuerint, sive naturales. Quinimo neglectæ quoque artificiales sanguinis ventilationes solitæ inordinatos hujusmodi sæpe numero excitant motus convulsivos. Spasmos ex sola plethora morbosa nasci posse, nota nimis res est, quam quæ probationis indigeat. Argumenti loco cura illorum sit, quam sola venæ sectio præstat. Nati ex neglecta hac icteri casum memorat in ci-



tato jam ſæpe Commercio liter. Norimb. An. 1739 hebd. 4. p. 30 cl. *Kellner.* A retardatis in juvencula tenera menſibus morbum noſtrum genitum deſcribit *Bartholinus* (k). A ſuppreſſis iisdem eundem effectum vidit cum *Hoffmanno* (l) *Trumphius* (m). Jn poſteriori caſu ceſſavit illico poſt reſtitutum hunc fluxum icterus. A retentis puerperarum repurgamentis uterinis morbum hunc

N 5 ſubinde

(k) Centur. 5. hiſt. 62.
(l) M. R. S. Tom. 3. ſect. 1. cap. 9.
(m) Commerc. lit. Norimb. A. 1740 hebd. 19. art. 3.



ſubinde nasci obſervavit *Foreſtus* (n), *Amatus Luſitanus* (o) &c. A repentina hæmorrhoidum ſuppreſſione icteros et hepatidides non raro produci auctor eſt *Junckerus* (p), citatusque jam aliquoties *Hoffmannus* (q); ejusdemque hujus morbi cauſas in excitatis nimis per aloetica aliaque his ſimilia medicamenta hæmorrhoidibus detexit in Comm. lit. Nor. a 1742 hebd. 26. no. 1. cl. *Wolf-*

ſius

(n) Loc. ſæp. cit. obs. 21.
(o) Centur. 1. Cur. 83. de morbo Regio.
(p) Loc. cit. Tr. de Jctero 5. 3, 2, it. Tab. 11, 6, 10.
(q) Patholog. gener. part. 1. cap. 6. § 38 & 39.

ſius. Hæc quoque ratio esſe videtur, cur in tractatu ſuo de curandis morbis *Liſterus* hæmorrhoidariis ictericum colorem familiarem adſerat tit. de hæmorrhoid. p. m. 32.

Transferri nonnunquam per metaſtaſin materias morboſas ad inteſtinorum canalem, lugemus ſæpenumero; lethalesque non raro emergentes inde videmus morbos. Jpſe ſubinde icterus ex irritatis a materia tali primis viis progerminat. A materia eryſipelacea epidemica ad inteſtina depoſita frequentem il-

lum



lum infantibus fuisse memorat in Commerc. liter. Nor. An. 1740 hebd. 15. *Albrecht*. Nunquam autem in epidemia ista apparebat icterus, si leni laxante detergerentur post victum principalem morbum primæ digestionis viæ. A consolidatis malo consilio antiquis crurum ulceribus icterum *Lusitanus* vidit, nec non *Fabricius Hildanus* (r). A materia podagrica ad intestinalem tubum per metastasin delata Regium nostrum morbum frequenter nasci docet *Iunckerus* (s). Par omni-

(r) Cent. 1. observ. 60.
(s) Conspect. Med. 8, 19 p. 736.



omnino ratio eſt circa retrogreſſum ad abdominalia viscera materiam arthriticam. Spasmos inde partium affectarum eximios dolorificos ſæpe lethales produci conſtat. Natos ex his icteros obſervavit in diariis ſuis medicis *Storchius* An. 1728 mens. mai. Conferri hic meretur *Liſteri* tract. de morb. chron. tit. de Arthritide p. 88. ſeq., neque minus digna eſt, quæ legatur obſervatio illa, quam cl. *Lizzari* exhibuit (t), foeminæ cujusdam, podagra nodoſa jam a longo tempore labo-

(t) Hiſtoriæ binæ rariores Venetiis 1761 deſcriptæ p. 17.



laborantis, quæ post prægressam, a revocata ad abdominalia viscera sine dubio materia peccante, acri, colicam gravissimam, in icterum incidit, perquam pertinacem. Omnibus his jungi poterunt illa, quæ in observationibus suis circa morbos castrenses cl. *Pringle* memorat cap. de inflam. ventr. et intest.; nec non rarus ille casus, quem cl. *Pye* describit, solutæ per sudores criticos ictericos podagræ pessimæ (u). A febre intermittente suppressa, icterum, cystidis-

que

(u) Medical observations and inquiries vol. 1. art. 6.

que felleæ ulcus genitum refert in transactionibus philosophicis anglic. *Amyandus.* Vidit natum ex simili causa flavum morbum *Ramazzini*; firmantque hæc omnia observatis suis *Storchius* (v), *Forestus*, (w) *Hoffmannus*, (x) *Bæumlinus*, (y) alii. Jn posteriori hoc, a cl. *Bæumlino* relato, casu natus a suppressa intermittente tertiana febre icterus; restituta hac, sponte sanabatur.

Spa-

(v) Siebender Jahrgang 1729. Mon. Julius.
(w) Loc. sæp. cit. obs. 23.
(x) M. R. S. Tom. 3. sect. 1. cap. 9. § 26. p. 231.
(y) Comm. liter. Norimb. a 1738, hebd. 5. art. 2



Spasmos ventriculi totiusque intestinalis tubi exquisitissimos ab admoto corpori externo, præsertim æstuanti, subito frigore produci, nemini non notum est. Quid ergo mirum, si de icteris quoque ex hoc causarum fonte genitis prostent exempla. Observavit icterum ab incauto et subitaneo corporis refrigerio *Ridley* (z). A natatione, sudante adhuc corpore perperam celebrata, eundem hunc arquatum morbum nasci vidit *Swietenius*

(z) Observat. medic. et physiolog. 24 p. 100.

tenius (a). Ab immerſione ſubitanea pedum in aquam gelidam icterum profectum notant *Miſcellanea Naturæ Curioſorum* (b). Non inferiorem aut promtiorem minus effectum producent ingeſti protinus æſtuanti corpori potus gelidi. Jnter plures periculoſæ aleæ plenos ex hoc delicto provenientes morbos icterum expertus recenſet *Iunckerus* (c) allegatusque jam ſupra cl. *Trew* (d).

O Vidimus

(a) Comment. ad Aph. Boerh. 916. Tom. 3. p. 90.
(b) Dec. 3. ann. 1. obſ. 86.
(c) Conſp. Med. Tab. 90, 5. 7. p. 710.
(b) Commerc. lit. Nor. an. 1739 hebd. 39.



Vidimus jam in antecedentibus, ſingularem admodum eſſe venenorum corpori animali ingeſtorum naturam, illam nempe, ut primos et truculentos maxime in totum inteſtinalem tractum, omneque ſyſtema nerveum exſerant effectus, licet ultra ventriculi limites non pertigerint: ſed mirandum profecto magis eſt illud; quod cuicunque vel extimæ corporis parti applicata, ſtatim in ventriculum inteſtinorumque canalem deſæviant, ibi primario deleteriam ſuam vim commonſtrent, ſideque citius

hic irritationes graviſſimas, inflammationes, convulſiones, gangrænas producant. Jnter ſymptomata illa, quæ a primis, ab hac cauſa natis, primarum viarum ſpasmis produci obſervantur, icterus quoque noſter ſe ſiſtit; non, ut a quibusdam credi voluit, a ſolutione generali humorum putrida proficiscens, ſed vere ſpasmodicus, conſenſualis. Sic a viperæ veneno, per animalis hujus morſum corpori inſinuato, totum corpus fœda aurigine tingi memorant *Ho-*



lenius, (e) *Sylvius*, (f) *Shaw*, (g) *Bonetus*, (h) *Galenus*, (i) *Coelius Rhodigius*, (k) multique præter hos alii. A bufonum veneno hac ratione corpori communicato aurigines fieri memorat in tractatu ſuo de venenis cl. *Allen* art. 59. cap. 16 p. 573. A tarantulæ ictu icterum interdum nasci ex *Georgii Christoph. Petri* tract. de card. bened narrat

Schurig

(e) Diſſert. inaug. de ictero p. 9.
(f) Loc. cit. Art. 40. p. 303.
(g) Prax. med. libr. 1. cap. 13. p. 305.
(h) Sepulchr. anat. libr. 3. ſect. 18. obs. 1.
(i) Libr. de loc. affect. L. 5. cap. 8; Charter Tom. 7. p. 498.
(k) Antiq. Lect. Libr. 6. cap. 13. p. 204.

Schurig (l). Sequi ictericiam inflicta corpori a ſcorpione vulnera docet *Marcellus Donatus* (m); fidamque illam eſſe aspidis ictuum ſociam, notat in Diſſertatione ſua inaugurali de cachexia icterica *Hemeke*. Jungi his ea poterunt, quæ circa hanc regii morbi cauſam *Baglivius* Libr. 1. de ictero p. 85 refert.

Alibi demonſtravi, quæ et quanta ex morſibus animalium irritatorum, iracundorum nobis imminent et ſontica peri-

(l) Tractat. de ſaliva cap. 5. de ictu tarant. p. 205.
(m) Hiſtor. med. mirab. libr. 1. cap. 9. p. 74.



cula. Vere venenati hi ſunt. Rabiem non raro producunt, ſymptomataque creant, iſtis a veneno aſſumto vix minora, ipſum icterum. Sic a morſu ſciuri regium productum morbum referunt *Naturæ Curioſorum Acta*. A felis domeſticæ iratiſſimæ morſu ictero valde pertinaci correptum hominem refert *Lanzoni* (n), qui et arquatum hunc morbum a morſu canis natum vidit. Sufficiant hæc. Feſtinabimus ad alias icteri ſpasmodici conſenſualis cauſas. Comitem

(n) Act. Phyſ. Med. Tom. I. obs. 96



tem ſeſe icterus ſæpenumero jungit aliis abdominalibus ſpasmodicis morbis. Ab hernia incarcerata inguinali, nataque hinc ſpasmodica inteſtinorum ſtrictura, icterum ejusdem hujus naturæ deſcripſit in Commerc. Lit. Norimb. A. 1742 hebd. 26. no. 1. cl. *Cohauſen.* Secuit hic hominis hujus, ab hoc morbo, ex chirurgorum imperitia, qui herniotomiam tentare non audebant, defuncti cadaver; nullumque vel minimum invenit hepatis, vel cyſtidis felleæ vel ductus choledochi organicum vitium. Spaſtica quip-



pe partium ſtrictura *interdum* a morte ſolvitur, ſi mediocris fuerit, et recens; ſin vero major morbus, et actuoſior cauſa, ſi conſtrictio firmior fuerit, et duraverit diutius, conſtrictæ quoque poſt mortem manent affectæ partes. Aliam icteri cauſam non raro ſuppeditant ſpasmodicæ illæ hypochondriacorum et hyſtericarum affectiones. Supervenientem his morbis icterum memorant *Holenius*, (o) *Liſterus*, (p) *Stor-*

(o) Loc. jam citat. pag. 11.
(p) Proceſſ. integr. in morb. cur. Sect. de colic. hyſt. p. 29.

Storchius, (q) *Wolffius*, (r) *Sydenhamus*, (s) *Mortonus*, (t) *Forestus*, (u) alii, qui poſterior productum ex hac cauſa icterum ſolis clyſteribus emollientibus injectis ſanavit. A cardialgia progenitarum auriginum exempla memoriæ prodiderunt *Hoffmannus* (v),

(q) Vierter Jahrgang Mon. Dec. 1726. Siebender Jahrgang 1729. p. 278. Achter Jahrgang 1730. April. p. 449.
(r) Com. Lit. Nor. A. 1742. Hebd. 26. no. 1.
(s) Opera Sect. 4. cap. 7. p. 213.
(t) Libr. 3 cap. 13. hiſt. 2.
(u) Libr 19. obs. 17.
(v) Medicina rationalis ſyſtematica. Tom. 4. ſect. 2. cap. 2. obs. 3.



Iunckerus, (w) *Pringle*, (x) *von Stein*, (y) citatusque modo *Foreſtus*. Similem a doloribus cardialgicis excitati icteri caſum recenſet in Commerc. Lit. Nor. A. 1739 hebd. 39 *cl. Trew*. Produxerat hic cardialgiam ingeſtus corpori æſtuanti potus gelidus; ſubſequebatur lento gradu icterus. Sanabatur per camphoram in oleo amygdalino ſolutam et oleum cajeputi. Redibat mox a comeſtis intemperantius pyris. Profligebatur denuo per anti-

(w) Conſp. Med. loc. jam. cit.
(x) Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee Th. 3. cap. 4. Abſch. 1.
(y) Diſſertat. inaug. de cardialgia

antiſpasmodica. Aliam in iisdem his Actis *Noricis*, A. 1739 hebd. 44 natæ a cardialgia ſodaque vehementi auriginis hiſtoriam tradit *Bruckmann*. Varia exhibita fuerant ad compescendos, qui intolerabiles erant, dolores, ſpiritus calidi; propinata fuerant a medicaſtro quodam emetica, cum inſigni tam dolorum quam regii hujus morbi augmento; ceſſit autem brevi, exhibitis larga manu medicamentis antiſpasmodicis reſolventibus, uterque morbus. Doloribus præterea colicis, præſertim ſi atrociores fuerint,



diutiusque perseverent, facile adsociatur arquatus morbus. Consignarunt hujus phænomeni exempla *Sydenhamus*, (z) *Storchius*, (a) *Hoffmannus* (b) &c., traditque nati ex hoc capite icteri periodici historiam cl. *Johnstone* (c). Quin inter symptomata illa, quæ colicam pictaviensem concomitantur, nostrum quoque

(z) Oper. sect. 2. cap. 7. p. 216.
(a) Dritter Jahrg. p. 828. vierter Jahrg. dec. 1726. p. 628. fünfter Jahrg. Sept. 1727. p. 213. it. 1728. Nov. p. 745. Siebender Jahrg. Apr. 1729.
(b) M. R. S. Tom. 4. part. pathol. spec. cap. 12. obs. 1 p. 370 seq.
(c) Philosophical transactions vol. 50. part. 2. for the year 1758. p. 543. seq.



que morbum experientia duce recenſent cl. *Bonté* (d) et *Haenius* (e), qui in ſectis poſt mortem cadaveribus conſtricta chordapſo vero inteſtina, raptumque in hujus affectionis conſenſum ſyſtema biliarium demonſtravit.

Jdem omnino obtinuit in noſtro, cujus hiſtoriam in fronte hujus opellæ jam dedi, epidemico morbo. Apparebat et hic poſt vehementiſſimos dolores co-

licos

(d) Journal de Medecine tom 15. M. nov. 2. it. tom. 16. mois apr. 1762 p. 300.

(e) Meth. med. tom. 10. cap. 1. p. 17, 55, 68, 101.



licos ſpasmodicos a tuſſi convulſiva excitatos. Tuſſim vero ipſam hanc inanem, ſpasmodicam, a prava primarum viarum conſtitutione nasci ſedemque ſuam principalem fixam ibidem habere experientia docuit felixque huic morbo medendi methodus.

Tranſeunt, uti ſupra jam notavimus, ex partibus vicinis affectiones morboſæ in primas vias. Deſinunt ſæpe ſæpius in colicam ſpasmodicam dolores nephritici, vel calculoſi veſicæ urinariæ, teſte *Langio*, Epiſt. 45, productusque per inte-

ſtina-

ſtinalem tubum ad biliarias usque vias ſpasmus icterum creat. Hiſtoria genitæ ſic a nephritide calculoſa auriginis legitur apud *Hoffmannum* (f), paremque caſum exhibet *Mortonus* (g) absque quod ipſi vel minima nata fuerit de ſpaſmo hic præſente ſuſpicio. Quantas per totum corpus excitare turbas poſſint vehementiores animi affectus, quamque cito operentur cuilibet notum eſt. Nictu oculi citius timor pallorem, pudor

ruborem

(f) M. R. S. Tom. 4. ſect. 2. cap. 6 obs. 1.

(g) Oper. med. libr. 3. cap. 13 hiſt. 2. p. 137.



ruborem genis conciliat. Maxima tamen et prima harum animi emotionum violentiorum vis in ventriculum desævit, ejusque viciniam. Epigastrium locus ille est, in quo ad quemlibet excitatum animi affectum graviorem, iram, terrorem, indignationem, pavorem, tristitiam, gaudium, libidinem &c. ingratum quendam sentimus stimulum (h). Nauseant animo commoti, (i) præpeditur deglutitio et constringitur sensibiliter oeso-

(h) Kaauw libr. impet. fac. Hipp. § 384. p. 280.

(i) Comment. in aphor. Boerh. 642. n. 5. tom. 2. p. 222.

oeſophagus (k). Patet ergo manifeſte, adeo rara non eſſe productorum ab hac cauſa icterorum exempla. Validas in organis bilis ſecretoriis et excretoriis turbas excitare iram, notiſſima res eſt. Hinc ad icterum generandum nihil ira aptius vel potentius aſſerit *Hoffmannus* (l). Spasmos, epilepſias, anomalosque ſyſtematis nervoſi motus ex brevi hoc furore nasci videmus quotidie, nimisque familiares ſunt vomitus, diarrhoeæque bi-

(k) Hoffmann oper. tom. 3. § 16. p. 132.

(l) M. R. S. tom. 4 part. pathol. ſpec cap. 12. § 8. p. 355.



liosæ et colicæ atrocissimæ ab hac causa, quam quod ad aliorum in hac re observata provocare necessum sit. Aurigi-num tamen, ab ira graviori producta-rum, hic aliquot exempla in medium proferre expedit. Vidit illam ex summa animi excandescentia in muliere qua-dragenaria, cum alvi constipationibus tensionibusque validissimis hypochondrii prodeuntem, *Albrecht* (m). Similem in diariis suis medicis casum descripsit *Stor-*

chius

(m) Commerc. lit. Nor. A. 1736 hebd. 44. art. 1.



chius (n). Siſtit nati ex hoc animi affectu icteri pertinacis hiſtoriam in Diſſertatione ſua de jctero *Hartemannus*, idemque obſervatis ſuis confirmat *Hoffmannus* (o), redditque hujus phænomeni rationem in pathologia ſua generali tom. 2. cap. 1. § 16. in ſcholio. Fieri, dicit, in hoc caſu icterum a conſtrictione ſpaſtica ductuum biliariorum. Gravidam ab ira ictericam factam, communicatumque ipſi foetui hunc morbum re-

 fert

(n) Vierter mediciniſcher Jahrg. m. may 1726. p. 248.
(o) Oper. tom. 3. ſect. 1. cap. 5.



fert *Bierling* (p), aliaque infantum ſic cum ictericia natorum exempla perhibuerunt *Dolaeus*, (q) *Panarolus* (r) et *Schultzius* (*) videruntque ex obſervatoribus recentioribus cl. *Sandifort*, *Hannes* aliique in neonatis infantibus icterum. Perrarus ſane eſt ille, quem in ſpecilegio ſuo anatomico obſ. 57 *Kerkringius* tradit, caſus pueri, a matre ictерica nati, cujus ipſa oſſa ſaturatiſſima flavedine tincta obſervabantur. Nec minus

(p) Adverſaria medica. 1076.
(q) Libr. 3. cap. 8.
(r) Pentecoſt. 4. obs.
(*) E. N. C. Dec. 1. ann 7. obſ. 241.

nus memorabile embryonis icterici trimeſtris per abortum a fœmina icterica excluſi exemplum cl. *Wriesberg* exhibuit, cum anatomica ſubjecti deſcriptione. Abierunt in varias ſententias varii, quibus phænomenon hoc videre obtigit, auctores medici. Colligere autem diverſas illorum circa hanc rem opiniones vetat inſtituti hujus ratio. Natos in adductis modo caſibus icteros cenſemus ſimpliciter a communicatione humorum maternorum morboſorum, bile flava præter naturam intime mixtorum, in ali-

mentum et augmentum fœtus impensorum. Mirum profecto non est videre sic in infantibus morbos a corruptis succis maternis nasci, morbo matris pares; sed hæreditario quodam jure transire a parentibus ad liberos familiarem quendam huic vel illæ familiæ morbum, idque non a prima nativitate, sed certa demum ætate, hoc notatu dignissimum est. De phthisi, epilepsia, podagra, lithiasi, &c. notum proh dolor! est, transferri affectiones has a parentibus ad seros interdum nepotes. De ictero autem

rariores

variores ſunt huius commatis caſus. Vidit tamen ſimile quid cl. *Boerhaavius*. Familiam quandam magnus hic vir novit, in qua omnes certo ætatis termino fiebant icterici tandemque nullis remediis cedente malo, ab hepate ſcirrhoſo peribant hydropici. Exhibuit obſervationem hanc ex ore præceptoris ſui cl. *van Swieten* in comment. ad aphor 486. Lactentem infantem ab iracundia matris ictericum factum narrat in Ephemeridibus Naturæ Curioſorum *Verdries*.

Non minus fertilis icterorum cauſa

terror



terror eſt, cujus præſentaneos et fatales ſæpe in viſcera abdominalia effectus quotidiana docet experientia. Regii noſtri morbi ab hoc animi affectu nati exemplum cl. *Boerhaave* in ſcriptis ſuis exhibet. Meminit mercatoris, qui de facto navis ſuæ onerariæ naufragio certior factus et præter modum ſubito conterritus in arquatum morbum confeſtim incidit, qui brevi poſt periodicus factus, hepati ſcirrhum, ægro mortem intulit. Confer hic, quæ in commentariis ſuis ad *Boerhaavii* aphoriſmos cl. *Swietenius* Tom.

3. p. 91 refert, quæ denique in Dissertatione sua inaugurali de terrore scripta § 23 *Leonh. Stocke* circa hanc materiam uberius tradidit. Notavit similèm omnino casum genitæ a valida animi perturbatione auriginis *Valsalva.* Citat hunc, et aliam simul non minoris ponderis historiam addit cl. *Morgagni* in Epist. anatom. med. 38. art. 2. Casus hic est: Juveni cuidam peringenioso, sacris et literis addicto truculentus quidam et horribilis vir sclopetum non opinanti ad pectus intentat. Quo ille terrore per-



culſus ipſo hoc momento ictericus fit, brevique poſt delirus intra 24 horarum ſpatium convulſus obiit. Jn utroque caſu nec *Valſalva* nec *Morgagni* in ſecto cadavere vel minimum morbi alicujus ictero generando apti veſtigium detexerunt; hinc et uterque ex conſtrictione partium convulſiva ab animi affectu producta natum hic icterum et merito quidem, cenſet. Arcuati morbi a triſtitia nati hiſtoriam in Diſſertatione inaug. de animi affectibus § 78. p. 46. exhibuit *Valkenaer*; ubi læto convivio ad-

ſidens

ſidens vir hilaris, alacris, ſaniſſimus, per acceptum triſtem nuntium adeo affligitur, ut antequam ex convivio discederet, ictericus eſſet. Addit relationi huic auctor phænomeni hujus rationem „non crediderim, inquit, inveſtigandam eſ„ſe in materia modo memorata (atrabilaria „nempe, de qua in hoc paragrapho ſer„mo fuerat) ſed potius in ſpasmo, qui „ductus bilioſos occupavit„. Jdem hoc aliis exemplis confirmat *Ettmüllerus*. Anxiæ præterea animi ſollicitudines ex ejusdem auctoris ſententia flavum hunc

mor-



morbum ſæpe ſæpius producunt. Obſervavit hoc jam *Helmontius*, (s) ſiſtitque productæ ſic a moerore gravi ictericiæ hiſtoriam in conſultatoinibus suis *Hoffmannus*. (t) Neque immerito huc referri poterit ſacrarum paginarum locus ille *Ieremiae* 30. v. 6. collatus cum *Deuteronom*. 28 v. 22, ubi icterum, ab animo propter imminentes coelitus prædictas divinas clades ſummis ſollicitudinibus circumacto eventurum Jsraelitis

Jehova

(s) Tract. de ſede animæ ſeu jure duumviratus p. 564.

(t) Tom. 2. ſect. 3. cas. 57. p. 264. ſeq.



Jehova prædicit. Verſio quidem germanica patrium huic morbo proprium nomen *Gelbſucht* non ubique habet ſed terminis *Misfarbigt*, *Bleichſucht* &c. in locis his utitur. Vocula autem hebræa, quæ hic occurrit *Ierakon* ex unanimi interpretum optimorum, *Clerici*, *Buxtorfii*, *Scheuchzeri*, *Schindleri*, *Iunii*, ipſorumque Rabinorum ſententia per icterum ſummo jure vertitur. Hinc et per ſeptuaginta ſacri codicis interpretes græcos *Ierem.* 30 per ικτερον; *Deuteronom.* 28 vero per ωχρον, quod colorem vi-

telli-



tellinum, quasi ωϰ χροαν diceres, translata est (u). Alia insuper nati a

mœrore

(u) Proprie vocula hæc hebræa (quamquam pro colore croceo vel aureo subinde sumatur, uti ps. 68. v. 14) ob natales suas, quas a radice *Iarak*, *Iarok*, et *Iaerek* ducit, quæ herbam significat, colorem indicabit herbaceum viridescentem; vel potius, si cum textu, Amos 4. v. 9. comparetur, colorem notabit herbæ marcidæ emorientis, quem galli *feuille morte* appellant. Hinc et divus artis nostræ fundator *Hippocrates*, dum in libro suo περι νϰσων Libro 2. et 3. ictericorum oculos, habitum, urinas, salivam &c. describit, colorem illis dat χλωρον, quæ vox pari modo a vocula χλοα, quæ herbam indicat, proficiscens, colorem ictericorum ex viridi et bruno flavescentem designabit.



mœrore morbi regii exempla conſignavit *Sylvius de le Boe* (v) et *Bonetus* (w). Tanta eſt animi affectuum in producenda aurigine vis.

Dubitare autem quis forte poſſet, an revera hæ animi perturbationes, dum icterum producunt, effectum hunc per veras, quas in primis viis ſyſtemateque bilioſo generant ſtricturas ſpaſticas creent, vel alio quodam modo? Resp. Nullum omnino ſupereſt dubium, poſt captas tot circa hanc rem obſervationes,

nasci

(v) Libr. 1. cap. 66, 9.
(w) Sepulchr. Libr. 3. ſect. 18. obs. 2.



nasci reapſe ex productis per animi affectus ſpasmis ſic icterum. *Hoffmannum* teſtor (x) et *Fernelium* (y), qui ambo, validiſſimas ab animi affectibus in ventriculo, diaphragmate, jecinore, ductibusque biliariis excitari ſtricturas ſpasmodicas experti aſſerunt. Ne autem horum virorum auctoritati nimium in hac re largiri videamur; nonnullos hic recenſebimus animi affectuum in primas vias effectus, manifeſto ſpasmodicos. Vo-

mere

(x) M. R. S. Tom. 4. ſect. 2. cap. 2. § 13.

(y) Libr. 4. de Febr. cap. 10.



mere videmus homines delicatiores ab audita re nauſeoſa (z); nauſeare alios a ſola recordatione medicamenti vel alius rei nauſeoſæ. Singultiunt nonnunquam ſumme conterriti (a) teſte *Hoffmanno* (b), rejiciuntque vomitu bilem acrem cauſticam ira graviori excandescentes. Hernias non raro lethales ab animi affectu violento viſcerumque abdominalium convulſiones produci, obſervatis pariter conſtat. Dignus certe, qui hic no-

(z) Helmont. loc. cit. p. 564.
(a) Leonh. Stocke. l. c. §. 20. it. Diſſert. noſtr. de ſingultu.
(b) Oper. Tom. 5. §. 18 §. 261.



tetur, casus ille est, quem celebris quondam Amstelodamensium medicus, circa artem anatomicam meritissimus, *Ruyschius* in observationibus suis anatomico-chirurgicis centur. 1 observ. 98. p. 91 narrat. Potens quidam amstelodamansis oenopola, quum in cella sua crepans de improviso vini dolium præsens videret, illico in bubonocelen incidit lethalem. Notat simul *Ruyschius*, comperisse se tunc a chirurgo ejusdem urbis, in sanandis herniis exercitatissimo, rarum nullo modo esse quod a terrore herniæ nascantur. Jncar-

cerati



cerari a ſubitaneis animi affectibus hernias et ſubito fatales fieri, confirmant obſervationibus ſuis *Medici Vratislavienſes* an. 1707, illuſtrisque *Hoffmannus*. Uteri prolapſum ex terrore protinus ſanatum, retractis in ſua loca elapſis partibus, ferunt *Les Anecdotes de Medecine* p. 72. Volvulos denique, ipſosque chordapſos ex animi affectibus productos refert *Tulpius* (c); pluresque dedi ex eadem hac cauſa atrocis hujus mali geneſes in obſervationibus circa i-

(c) Libr. 2. obs. 41.

lei morbi naturam et causas Academiæ N. C. communicatis.

Certum itaque est, argumentisque satis validis numerosaque experientia probatum, dari omnino icterum spasmodicum, nulli alio vel hepatis vel bilis, vel viscerum aliorum, cholopoiesi coinservientium labi origines suas debentem; sed ex sola cystidis felleæ, ductuumque biliariorum constrictione spasmodica, vel idiopathica, vel consensuali genitum. Restat ergo, ut inquiramus, an icterus ille, cujus historiam in tra-

ctatuli

ctatuli hujus initio dedimus, ſpasmodicus talis revera fuerit?

Morbos noſſe, eosque probe inter ſe diſtinguere, ardua profecto res eſt. Effugit ſæpe ſub intricatiſſima ſymptomatum farragine omnem ſenſuum noſtrorum aciem verus morbi genius, ludit-que non raro oculatiſſimum quoque et diligentiſſimum obſervatorem. Non tamen minor requiritur rerum peritia ingeniique acumen ad eruendas cogniti jam morbi absconditas, altisque tenebris obvolutas ſæpe, cauſas; quarum tamen

cognitio unica eſt ad felicem morborum curationem via. Nascitur idem ſæpe morbus ex diverſiſſimis, quin oppoſitis nonnunquam ſibi e diametro cauſis. Has qui detexit, prognoſin ferre firmam, et ſanationem, ſi qua detur, felicem polliceri ſolus poterit. Hoc judicium illud difficile eſt, de quo primus *Hippocratis* aphorismus. Exemplo icterus noſter eſto. Jpſum morbum dignoscere ab omni alio facile poterit ille, qui ſemel tantum, quoad vixit, ictericum vidit. Cauſam vero, unde natus fuerit,

cauſæ



cauſæque cauſas eruere; hoc opus, hic labor eſt. Vidimus in antecedentibus, nasci arquatum morbum a variis hepatis morbis, ab ejus inflammatione, abſceſſu, ſcirrho, infarctu; nasci eundem a compluribus veſicæ felleæ affectionibus morboſis, phlegmone, hydrope, occallescentia, ulcere, &c., a varia ductuum biliariorum conſtitutione præternaturali, ſpaſmo, obſtructione, inflammatione, infarctu, induratione, a calculis cyſticis, a vermibus hepaticis, cyſticis, et inteſtinalibus; a defiguratione morboſa partium canali-



bus biliferis vicinarum. Vidimus bilem ipſam tam quantitate quam qualitate peccantem auriginem producere. Et quot ad bilem efformandam concurrunt abdominalia viscera! hepar, ſplen, pancreas, omentum, inteſtina ipſa, omnia ſana ſint oportet, ſi laudabile a ſanguine ſequeſtrari debeat fel. Generari porro diximus icterum a diverſis partium nervoſarum, licet diſſitiſſimarum, affectionibus dolorificis, a tendinum læſionibus, vulneribus capitis, morſibus animalium, vel iratorum vel rabioſorum, a

venenis

venenis aſſumtis, a ſpasmis ventriculi et inteſtinorum per multiplices ſuas cauſas productis, ab animi affectibus, a ſuppreſſis evacuationibus, vel naturalibus in ſtatu ſano, vel artificialibus, aut criticis in morboſo ſtatu. Quanta ergo unici hujus morbi cauſarum grex! quantaque cautione opus eſt ad detegendam unam illam, quæ morbum præſentem producit, cauſam! En, ex quibus ſignis ſpasmodicum hunc judicaverim morbum! *Primum*, quod de vera hac morbi noſtri cauſa ſuſpicionem mo-



vebat, genesis erat hujus icteri ex morbo similiter spasmodico, tussi nempe convulsiva, quam in ventriculo et primis viis sedem suam habere non solum ex unanimi auctorum, qui hoc morbi genus ex professo tractaverunt, *Dolæi*, *Hoffmanni*, *Waldschmidii*, *Rosensteinii*, *Lindani*, *Bourdelini*, *Zanders*, aliorumque observatione sciebam; sed ex propria quoque experientia tempore epidemiæ nostræ, a me descriptæ, facta didiceram. Hinc sobolem a matre non degenerem, morbumque spasmodicum a spasmodi-

ſmodico facile natum argumentabar; præſertim, quum ſimilem a tuſſi convulſiva productum icterum Veſaliæ obſervatum a ſe meminiſſet in Tractatu epiſtolari ad ill. *Baierum* de inſitione variolarum dato cl. *Hannes* p. 85. *Alterum*, quod ſpäsmum icteri noſtri cauſam arguebat, erat conjunctus immediate cum præſenti morbo affectus alius ſpasmodicus, dolores nempe colici atrociſſimi, adeo vehementes, ut de poſſibili non ſolum, ſed de facto revera tranſitu hujus ſpasmi in loca vicina nulla ſupereſſe potuerit dubitatio;



bitatio; præprimis, cum *Tertio* propagationem hujus spasmi in altiora quoque loca, septum transversum, pulmones, laryngem, visceraque vitalia, interclusus derepente spiritus subitaneaque non nunquam inde proveniens mors manifesto doceret. *Quarto* ipse cum ictero nostro conjunctus colicus dolor, ab adultioribus ut aperte convulsivus seu constrictorius accusatus, ab acri et mordente illo, quem effusa in tractum intestinalem bilis morbosa producere solet, a lacerante et scindente illo, qui a

calculis



calculis cyſticis exitum tentantibus naſcitur, nec non ab urente, tenſivo pulſante, inflammatorio, et profundo obtuſo gravativo illo dolore, qui affectum diverſimode hepar notat, maxime diſtinctus, ſpasmum hujus ſcenæ matrem indicabat. *Quinto* dolorum, cum ictero noſtro conjunctorum, locus, ſola inteſtina cum ventriculo eorumque viciniam proximam ſucceſſive affici notabat, dum ab inferioribus ſenſim altius adſcenderet, locaque potiſſimum anteriora abdominis regionemque umbilicalem et epigaſtri-

cam



cam occuparet morbus; quum contra nascens ab hepate inflammato, vel a calculis cyfticis, biliares ductus irritantibus, dolor fcindens, iniquiffimus a latere dextro magis ad dorfum, fcapulas, claviculas et jugulum propagetur. Obfervatio hæc nova non eft. Habet illam *Aretæus Cappadox libr. de diuturn. morb.* 1, 13. item *Cæl. Aurelianus* Tard. Paff. 3, 4. nec non *Ballonius* Libr. 1. Cons. 75. p. 407. Proprie autem, quoad dolores ex affecto diverfimode hepate nascentes, eorumque in partes vicinas diffufionem,

notaffe

notaſſe refert; differri condolentia loca, prout diverſa fuerit affecta hepatis regio, dum vel in parte gibba ſuperiori, vel in inferiori concava, in ipſa ſubſtantia, vel in membranis veſtientibus, in proprio parenchymate, vel in ſyſtemate biliario, in vicinia ligamentorum ſuspenſoriorum, vel in loco ab his remoto ægrotaverit. Horum autem omnium elucidatio, quum ex diſtributione nervorum, continuatione membranarum, &c, per anatomen noſcenda, haud difficulter extricari poſſit; nimis autem pro-

lixa



lixa foret, quam quæ opusculo huic succincto inseri valeat, hic merito omittitur. *Sexto*, ingruens subito icterus, absque ullo alio vitiati hepatis vel alius visceris cholopoietici manifesto signo ex læsis functionibus prægressis facile cognoscendo, causam hic præcipitem, cito natam, qualem præter spasmum ceteris paribus in subjectis nostri morbi ut plurimum infantilibus aliam vix suspicari licebat, arguens novum adjiciebat sententiæ adoptatæ pondus; maxime, cum *Septimo* æque subito rursus post solutum paroxysmum

ſinum ſpasmodicum icterus quoque ſolveretur, rediretque brevi roſeus ori color. Ambulatoria hæc morbi natura, ambulatoriam quoque et vagam ejus accuſabat cauſam, qua vel cito oboriente vel ceſſante, apparebat aut evaneſcebat rurſum icterus. *Octavo* alvi excrementa, quæ dura, rotunda, globuloſa, ſcybalis caprinis ſimilia in morbo noſtro fuiſſe diximus, indubitatum ſpasmorum inteſtinalium exhibebant ſignum. Hæc enim alvinarum egeſtionum præternaturalis configuratio, *cl. Haenio* teſte, non niſi



convulſivam ductus inteſtinalis conſtrictionem agnoscit matrem. Jnvenit nempe illuſtris hic vir in cadavere hominis mortui ex colica pictonum, quam convulſivam communis fert medicorum ſententia, ubi eædem omnino excernuntur duræ et globoſæ fæces, inteſtinum ileum alternatim adeo conſtrictum, ut a circumjecto filo ſubligatum crediſiſſes. Vid. *Haenii Method. med. tom.* 10. *cap.* 1 *de Colica Pictonum* pag. 9. 17. 28. 55. 68. 94. 101. ſeq. Jdem omnino obſervaverunt in colica ſaturnina con-

vulſiva,

vulſiva, quam *Hüttenkatze* Germani appellamus, clariſſimi viri *Ilſemann*, *Stockhauſen*, *Zimmermann*. *Nono* non minus certam ſpasmodici hujus morbi notam dedit, eruptionem icteri proxime antecedens, totius corporis rigor. Hic enim, ut infra fuſius docebimus, ſpasmorum internorum communis et certus index eſt. Conf. *Hoffmannum* in Oper. Tom. 3. ſect. 1. cap. 5. divumque *Coom* in aphor. ſect. 4. aph. 46, 58, 63. *Decimo* ſtricturarum internarum ſpasmodicarum, natique in ſubſtrato caſu ex his regii



noſtri morbi indicium æque manifeſtum præbuit urina ſtrangurioſa, tenuis, aquoſa, limpida, ictero huic familiaris. Notavit ſuo jam tempore ſymptoma hoc reverendus ſenex, in prænot. coac, ſecundum *Dureti* ordinem 44, 48, 55. it. T. 5. Libr. 1, 26. Monet ſimiliter, tenuiſſimas excerni in colicis illis, quæ a ſpasmo excitantur, urinas, *Hoffmannus Tom. 4. ſect. 2. cap. 2. obſ.* 1. p. 241. parilemque obſervationem circa urinas tenues et aquoſas in morbis ſpasmodicis hypochondriacis & hyſtericis ubique ob-

vias



vias exhibuit in commentariis ad aphorismos *Boerhaavianos* tom. 3. aph. 916. p. 92. cl. *Swietenius*, nec non *Sydenhamus* in Differt. epiſtol. ad cl. *Cole* ſcripta de affectione hyſterica. Vid. Oper. p. 392, 394, 398, edit. Leid. 1726. Quibus omnibus merito adjungi poterunt illa, quæ de difficultatibus urinæ a morbis viſcerum abdominalium ſpaſmodicis oriundis conſignavit *Iunckerus* in conſp. med. tab. 78, 4, 2, b. it. *Hippocrates* in Prænot. Libr. 1, 29. nec non Epidem. Libr. 6. ſect. 1, 9, & 10.



Undecimum icteri noſtri a ſpasmo parti-um nati indubitatum ſignum dedit ipſa morbi ſolutio cum ſignis manifeſtis ſoluti ſpasmi, tam interni, quam peripherici, videlicet ſudore profuſo, ſpontaneaque tam alvi quam urinæ ſolutione conjuncta. Conf. hic aphorismum *Hippocratis* 44. ſect. 6. Tandem ultimo loco medendi quoque methodus, ipſeque remediorum huic ictero adhibitorum impar ſucceſſus latum de cauſa noſtri morbi primaria judicium plenarie comprobabat; dum omnia illa, quæ ſub re-

ſolven-

ſolventium, aperientium, vel evacuantium titulo nota medicamenta ſunt, omnia, quæ bilem ſpiſſiorem fundere obſtructaque ejus vaſa recludere novimus, ipſaque vel tantillum moventia clyſmata, verbo, cuncta illa quæ aliis, ex alia cauſa natis, icteri diverſis ſpeciebus medicari ſolent remedia, non ſolum ſperato caruerint effectu, ſed morbum, inſuper auxerint magis; dum contra emollientiſſima quævis, ſolvendisque ſpasmis idonea medicamenta ceſſerint ex voto, totamque abſolverint hujus morbi curam.



Hæc potiſſimum ſigna illa ſunt, quibus ad diagnoſin hujus morbi, ejusque cauſarum, uſus fui. Credere in genere libet, ſpasmodicos hos maxime renunciandos icteros eſſe 1. qui periodici ſunt regulares, Simpliciter enim intermittentes, aut data quadam occaſione recurrentes, hujus ordinis non ſunt. Hi, uti mox erimus viſuri, aliis quoque cauſis natales ſuas debent. 2. Spasmodicos illos cenſeo icteros, qui a morbis inteſtinorum vel ventriculi ſpasmodicis naſcuntur, recentes. 3. Pro ſpasmodicis haben-

di



di illi ſunt, qui absque ullo prægreſſo læſorum viscerum cholopoieticorum labe ſubito fiunt et absque manifeſta cauſa brevi iterum ceſſant. 4. Huc referendæ erunt omnes illæ auriginum ſpecies, quæ ab animi affectibus, aliisque generis nervoſi irritationibus vel læſionibus producuntur. 5. Spasmodicis adnumerandi illi icteri ſunt, qui febribus intermittentibus nubunt, vel febrium intermittentium perſonam agunt. 6. Hujus claſſis quoque illa ſunt morborum arquatorum genera, quæ febribus acutis tempore in-



ſtantis criſeos, cum rigore corporis, &c. accedunt.

Sufficiant hæc ad determinandam icteri noſtri cauſam; ſpasmum. Reſtat, ut et hujus quoque probabilem cauſam, quantum licet, ex ſuis fontibus hic breviter eruamus.

Prægreſſus fuerat bilioſus putridiſſimus morbus, vix non totam humorum maſſam funditus corrumpens, manifeſtamque ſuccorum acrimoniam, ſyſtemati nervoſo, præcipue telis nerveis ventriculi, ſepti transverſi, pleuræ, ipſisque pulmonibus

nibus et bronchiis gravem, continuasque in partibus his tenſiones excitantem, poſt ſe relinquens. Omnibus his virium, a morbo hoc maligno putri exhauſtarum, defectus viſibilis, ſolidorumque totius corporis debilitas et atonia ſumma jungebatur. Præternaturalis ergo ſolidorum corporis ex debilitate morboſa nata irritabilitas, cum humorum univerſali acrimonia bilioſa putrida conjuncta, non potuit, quin in partibus jam memoratis, præcipue tamen in tubo inteſtinali organisque ſecernendæ bili ſacris, varias

produ-

produxerit functionum anomalias, in irritationes partium harum tenellarum, earumque ſpasmos dolorificos cito transeuntes, per totum abdomen diffundendos. Accedebat, quod dejectiones in præcedente morbo copioſiſſimæ, dyſentericæ, acres, lubricantem internas inteſtinorum parietes pituitam deſtruentes, et ſecum asportantes, tantam inteſtinis conciliaverint irritationem, ut ex nato a ſiccitate hac præternaturali, et attritu continuo partium, ingrato ſtimulo, accedenteque ſuperſtite adhuc humorum enteri-

corum

corum acrimonia ſumma, primo teneſmus oriretur perquam moleſtus, quem brevi poſt, propagato magis magisque per totum abdomen incitamento; colicæ vehementes tuſſesque noſtræ convulſivæ, cum omni ſuo, quem recitavimus p. 90. ſeq., apparatu, ſequebantur. Jnfanticidæ hæ, non ſolum inanes ciebant a ſuccuſſione diaphragmatis partiumque abdominalium proficiscentes vomendi conatus, ſed ſpasmos quoque dolorificos, in abdomine jam præſentes, adeo augebant, ut vel in externas corporis partes non raro erumpentes,



pentes, epilepſias ſæpius produxerint fatales, vel propagati in pulmones, viſceraque vitalia, ſubitaneam ægro intulerint ſuffocationem.

Mirum ergo videbitur nemini, quod ſpaſticæ hæ inteſtinalis tubi ſtricturæ in immediate appoſitas ſibi partes tranſierint cito, ductumque biliarium communem in affectionum ſuarum traxerint communionem. Conſtrictus ergo vicinitatis jure choledochus hic canalis, pertranſituræ bili exitum in inteſtinum duodenum negans, icterum neceſſario pro-

duxit

duxit temporarium, ſoluto ſpasmo ſolvendum ſimiliter. Neque tamen ſolum hic choledochum ductum a ſpasmo hoc conſenſuali clauſum reor. Subitanea icteri noſtri eruptio altius propagatam hanc ſtricturam ſpasmodicam arguit. Non enim a clauſo choledochi ductus osculo excretorio ſtatim aurigo nascitur. Contractum ergo ſimul fuiſſe autumo ductum choledochum, hepaticum et cyſticum. Forte et tranſiit ob violentiam morbi in biliarios quoque hepatis poros ipſamque cyſtidem ſpasmus; quo facto contenta in

loci



locis his secreta jam ab humoribus reliquis bilis, retrograda via, vi, vel in vasa ipsa bilem secernentia, vel in vasa vicina lymphatica acta, totique liquidorum massæ reddita, celerem icteri genesin produxerit. Referri huc quoque meretur auctus post solutum a viribus vitæ spasmum sanguinis et humorum circulus, vi cujus promptior et intimior bilis cum sanguine mixtio, citiorque biliosæ flavedinis per totum corpus distributio.

Sed cur pertinacior temporis successu obser-



obſervabatur idem hic icterus, et perſtes ſæpe diu poſt pulſum priorem morbum? Reſp. Exprimebantur per repetitum hunc ſpasmum ex vaſis biliariis jam recenſitis liquidiores, tenuiores et in vaſa minora ſecernentia vicina admiſſibiles ſolum ſubtiliores partes; reſtitante tam in biliariis poris, hepaticoque ductu, quam in cyſtide ipſa et canali choledocho, parte fellis reliqua craſſa, ſpiſſa, tenaci, amurcoſa. Obſtruebat hæc brevi proprias ſuas vias, exitumque ſibi ipſa claudens, tranſeunte continuo in M. S. li-



quidiore ſui parte, icterum producebat fixum, pertinacem, difficilioris ſanationis. Vide, quæ circa hanc regii morbi cauſam *Veslingius*, *Morgagni* illuſtrisque *Abrah. Vaterus* in *Obſerv. rariſſ. circa calculum* 3, § 1. Capit incrementa quotidie hoc malum. Turbatur brevi ipſa quoque bilis ſecretio, obſtruuntur ſenſim, oppilantur, officiumque ſuum oblita ceſſant agere cholopoietica vaſa, tandemque hepati ipſo certiſſima inuritur difficillimi judicii et ſanationis labes, infarctus, absceſſus, ſimiliaque alia non

minora

minora mala. A reſorpto in ſanguinis maſſam pure hoc teterrimo pthiſis naſcitur febriſque lenta lethalis. A communicato visceribus abdominalibus hepatis morbo, natoque neceſſaria lege et in his quoque infarctu peſſimo, hydrops generatur non minus inſanabilis et q. ſ. r.

Quoad prognoſin. Patet hæc partim ex antecedentibus. Addam paucis illa, quæ clinica obſervatio docuit. Jn genere totus hic morbus periculoſiſſimæ fuit aleæ, pluresque necavit, ad quos ſanandos omnia adhibita fuerunt artis præſi-

 dia.



dia. Obierunt tenelli per omnia morbi stadia. Hi ad ferendos atrocissimos ventris cruciatus morbique externæ violentiæ impares, sub rigore universali, auriginis nostræ solito præcursore, fato succedebant. Jlli statim in primo morbi principio graviter convulsi moriebantur. Alii intercluso a ferina tussi subito spiritu efflabant animam, magnaque reconvalescentium pars post superatum multo labore primum morbum, ex humorum corruptione, a pulmonum acquisita labe vel ab hydrope interibat. Genti tamen

rusti-

rusticæ plus intulit damni, tristioremque multo inter hominum hoc durum genus lusit scenam, quam in urbe ipsa. Desiderati sunt in uno ditionis Essendiensis tractu, versus occidentem urbis sito, *Borbecensi*, pusillorum juvenculorumque fere trecenti; quibus autem, quod utique adverti meretur, maximam partem, rustico more, vel vaga, vel fera nimis adhibita remedia fuerunt. Icterus hic, quum mere symptomaticus esset, ad judicandos socios sibi morbos contribuit nihil. Declinantis tamen paroxysmi in prin-



cipio fuit plerumque index; non ubique. Quod reliquum eſt, per ſe neque felix dedit, neque triſte augurium. Dum primo invaderet, ſoluto ſpasmo ſolvebatur. Solutum vero ſpasmum ceſſans urinæ difficultas, recluſa alvus, ſudorque erumpens indicabant. Permanens iſchuria, obſtructaque alvus, longiorem ubique morbi moram difficilioremque ſanationem fore, præſagiebant. Poſt enatum icterum ſingultus cum permanente excretionum diſpendio, convulſiones artuum mox ſecuturas nuntiabat. Erumpens

ſub-

ſub ipſis convulſionibus, vel poſt easdem, icterus ubique lethalis fuit. Sæpius recurrens, ſenſim rebellis, medicationi diu multumque obluctabatur, ſique diutius protraheretur, arti tandem indomabilis, modo jam ante indicato, in alios morbos tranſiit, ut plurimum lethales. Triſtis hæc oeconomiæ animalis ſors eſt, ut ex parvulis initiis nascens ſæpe non majoris momenti morbus, mox alium pariat diverſæ naturæ et longe graviorem affectum, qui ipſe cum ſobole ſua, quam ſatis cito generat, pulſo licet primario



morbo ejusque causa nihilo minus in corpore remanet, augmenta ex se ipso capit, machinæque totius sensim fulcra suffodiens, mortem ægroto tandem infert. Natorum sic asthmatum convulsivorum, hecticarum, hydropum pectoris, ascitum, hæmorrhagiarum enormium, graviumque aliarum affectionum ex ictero post productos hos morbos cessante, exempla notata a pluribus sunt.

Si in curatione icteri cujuslibet ex *Hoffmanni* præceptis summa prudentia et circumspectione utendum est, profe-

cto

cto in hac regii morbi ſpecie collocanda erit ad rationalem curam omnis medici induſtria. Scimus, magnos ſæpe uſus præſtare in variis icteri generibus adhibita emetica et nonnunquam præſentiſſimum ferre auxilium; præſertim, ubi obſtructi a materia quacunque vel viſcida vel calculoſa mobili canales biliferi fuerint. Nocent autem in omnibus ex ſpaſticis inteſtinorum affectionibus progenitis icteris quam maxime; violentas enim partium ſtricturas et augent et propagant ulterius. Nocuerunt quoque in noſtro morbo.



Simile quid circa purgantia obtinet, quæ interdum in hoc morbi genere indicatiſſima deprehendimus. Et hæc ſpaſmos quoque primarum viarum, præprimis ſi fortiora fuerint, maxime augent, ſicque oleum accenſo jam igni affundunt. Hinc jam artis noſtræ princeps *Hippocrates* in Libro ſuo *de ratione victus in acutis* nec non *Libr. de affect.* ſect. 5. medicos, ut a purgantibus in ictero caveant, ſuo monet. *Periculo*, inquit, *expones ægrum; non juvabis.* Hoc tramite incedens quoque *Coelius Aurelianus* Libr.

3. cap.

3, cap. 5. imprudentem ventrifluorum et cholagogorum usum magnopere increpat, quum materia ex horum medicamentorum, absynthii nempe, aloes, colocynthidis, similiumque drasticorum ministerio deterior fiat. Hinc nescio, qua bona fortuna factum fuerit, ut in ictero, a colica spasmodica nato, tantos hauserit ex usu Jalappæ fructus *Rolfincius*, qui remedii hujus exhibitionem in ictero contra *Mercatum* in Dissertatione sua *de Tartaro* defendit.

Sudorifera, præsertim calida volatilia,





quæ motum fluidorum inteſtinum ſummopere intendunt, ſolidarum vero partium tenſiones et crispaturas augent, exulare non minus ex icteri cura jubemus. Urgent hæc, quæ in oſtiolis vaſorum minimorum hæret, materiam viscidam, tenacem, eamque altius in teneriores et anguſtiores canales incuneando, infarctus nascentes augent, totumque morbum non pertinaciſſimum ſolum, ſed indiſſolubilem ſæpe reddunt.

Curatoria autem principalis icteri ſpaſmodici indicatio eo dirigenda eſt, ut

ſpaſti-

ſpaſtica hæc fibrarum tubi inteſtinalis valde irritabilium nervoſarum crispatura quantocyus ſolvatur, adeoque bilis tam ſecretio ſuspenſa, quam ejus ad duodenum deſcenſus impeditus naturali reddatur libertati; utque tandem, ſoluto per indicata remedia ſpasmo, acrimonia humorum, præcipue bilis, quæ ſpasmorum hujuscemodi genitrix eſſe judicatur, mitigetur, et ex inteſtinis eliminetur. Exhibita itaque ad feriendum hunc finem in noſtro caſu varia ſunt ſub paroxyſmo ad involvendam hanc hærentem in

primis



primis viis ſpasmorum matricem, mate-
teriam acrem, irritantem, blanda mu-
cilaginoſa, quæ, quum ſimul deperditi
lubricantis inteſtina liquidi vices gere-
rent, præternaturalem quoque partium
attritum natamque exinde nimiam tubi
inteſtinalis irritabilitatem moderabant.
Ad fovendas lubricandasque et relaxan-
das a ſpasmo hoc violento conſtrictas fi-
bras in uſum vocabantur remedia ſe-
lectiſſima emollientia. Dabantur ad ſo-
piendam telarum nervearum ſenſibilita-
tem nimiam, morboſam, medicamenta

ſui

ſui ordinis anodyna leniſſima, emulſiones ex ſeminibus frigidis, papaverinis, canabinis &c. Jnjiciebantur ex emollientibus blandiſſimis clysmata. Hoc enim remedii genus, dum in colon, quin, et altiores etiam inteſtinorum tractus ſubintrat, in omnibus viscerum abdominalium, præſertim hepatis et veſiculæ felleæ morbis, ubi emolliendum eſt, optimi demulcentis fotus præſtat officia. Jnvolvebatur ſimilibus herbis, floribusque ſambuci, meliloti, chamomillæ, ſemine lini, fœnugræci, hyoſciami, fa-



rina orobi, avenæ, bulbis liliorum alborum &c. in lacte dulci decoctis et ſaponi veneto nuptis, totum abdomen, præprimis hypochondrium dextrum. Accedebant omnibus his pediluvia et ſuccupia tepida, blanda: Verbo, emolliebatur quovis modo externus corporis cortex ad ſuperandas internas abdominalium viscerum ſtricturas, viam præeunte experientia, docente, ſolvi internarum partium ſpaſmos, emollita externa corporis ſuperficie et ſtringi verſa vice abdominalia viscera a ſpasmodicis externarum partium

tium ſtricturis. Digniſſimum ſane lectu eſt caput octavum egregii illius tractatus, quem *de morbis nervoſis* ſcripſit *Robert Whyt*, circa inſignem pediluviorum in morbis ſpasmodicis uſum. Optatiſſimos ex his effectus in ſimilibus morbis tulit *Hoffmannus*. Egregiam, quam in variis infimi ventris affectionibus opem præſtant, deſcripſit cl. *Stevenſon*; uſusque eximios hujus balnei in colica bilioſa ſpasmodica recenſuit in *actis Edimburg.* tom. 3. obs. 27. *Rob. Porter.*

Doloribus cardialgicis vehementioribus,



nimiisque et inanibus ad vomitum conatibus, præter memoratum jam externum abdomini applicandum fotum, epithema ex theriaca, camphora et pauco croco paratum egregie medicabatur.

Neque minoris usus ad compescendos vehementiores hos spasticos dolores fuit applicatum externe oleum amygdalarum dulcium calens camphoratum.

Soluto paroxysmo ad mitigandam educendamque ex corpore materiam acrem, firmandasque contra novos spasmodicos insultus partes solidas; pulveres exhibebantur

absorben-

abſorbentes, nitroſi, antiſpasmodici cum rhabarbaro, moſcho, caſtoreo, ſulphureque antimonii aurato, maritati cum notabili ſymptomatum decremento.

Si autem profectior jam morbus, medicationi huic inobediens, poſt ſolutum quoque paroxysmum ſpasmodicum perſtes, fixior loco ſuo hæſerit, patueritque ex aliis læſis functionibus, receſſiſſe jam a craſi ſua laudabili ſana bilem, obſtructosque jam a materia tenaci biliosa picea ductus felleos, reſolventia lenia, tartarea, melle, mollientibusque aliis no-



minatis jam remediis intermixta cum fructu adhibebantur; præſertim quum balneum accederet jam indicatum emolliens, lenisque totius dextri lateris frictio humida. Quod ceterum ad icteri ſpaſmodici conſenſualis curam attinet, attendendum ubique eſt ad principalem ſpasmi præſentis cauſam ex antecedentibus haud difficulter noscendam, qua ſublata effectus quoque ipſe ſponte ſanabitur. Sic v. gr. natus in noſtro caſu icterus a tuſſi convulſiva, ex ſuis cauſis producta, ſanata hac ſtatim in principio

per

per vomitorium appropriatum, ſubjunctisque evacuanti huic remedio medicamentis roborantibus antiſpasmodicis, cortice peruviano, caſtoreo &c. levi opera præveniebatur. A menſibus vel hæmorrhoidibus ſuppreſſis excitatus icterus reſtitutis his hæmorrhagiis absque alio fere remedio ſponte ceſſat. Qui a meconio in infantibus præter naturam retento, inteſtinorum canalem acri ſua indole irritante, vel a colloſtro caſeoſo, in tubo inteſtinali tenellorum collecto, gignitur; ejecto per idonea medicamenta meconio,



ſolutoque et educto per ſaponacea et evacuantia leniter remedia coagulo hoc gravante, certo curatur. Quem retrogreſſa podagra aut arthritis producit regium morbum reddita ſuis locis materia podagrica vel arthritica ſolvit. Jcterum a vermibus natum anthelmintica fugant. Ab hernia incarcerata genitus, repoſitis in ſitum naturalem partibus, evaneſcit per ſe. Quæ ab acri vellicante quacunque materia, inteſtinorum parietes ſtimulante, procedit aurigo, correcta, vel obvoluta, vel educta hac, brevi ceſſat.

A suppressis intempestive febribus, vel a cohibitis malo consilio alvi fluxibus criticis excitata ictericia, reducta in orbitam suam febre, restitutaque excretione alvina, sponte cedit. Vidimus jam in antecedentibus plura icterorum hac methodo sanatorum exempla. Cavendum autem angue et cane pejus, ne intempestivo opiatorum ad sopiendos spasmos usu, ægro noceamus. In scyllam incidit, qui charybdim sic vitare nititur. Terrere nos utique exhibitorum cum infausto successu hujuscemodi medicamento-



rum exempla debent, quæ cl. *Ioung* memoriæ prodidit in *Actis Edimburgensibus*, graviaque illa symptomata, quæ ill. *Muzelius* ex perperam ministrato opio in observationum suarum manipulo altero recensuit. Par omnino ratio est icteri, aliorum morborum socii vel prolis. Sic febrium intermittentium comes, antifebrilibus; hystericas passiones concomitans antihystericis profligatur.

Tantum de ictero hoc spasmodico, cujus historiam in tractatuli hujus limine promiseram. Liceat mihi, antequam colophonem

lophonem operi imponam, paucis adhuc unam atque alteram, a variis varie ventilatam circa hunc morbum, quæstionem mantissæ loco evolvere. Lis est, de natura icteri periodici. Quæritur, quæ ejus ratio? Resp. Nota omnino, et confirmata observatione multiplici res est, plurimas nervorum, vel telarum nervearum sensiliorum affectiones a causa sontica productas, et inter has potissimum primæ digestionis organorum passiones (d) in

T 5 quan-

(d) Lectu per quam digna est, quam *de primis viis morborum periodicorum sede frequentissima* exhibuit Dissertatio cl. *Büchnerus* Halæ 1768.



tum spasticis partium stricturis ansam præbere solent, stata sua servare exacerbationis tempora, quibus natura id, quod molestum sibi et nocivum sentit, vel corrigere vel ejicere e corpore satagit; quamquam mechanismus huic operi a natura adhibitus inexplicabilis hucusque sit; et fortassis mansurus sit adhuc. Sic a tendinum læsionibus convulsiones periodicas regulares observaverunt plures, exhibuitque nuper adhuc in *Novis Academiae Naturae Curiosorum Actis* tom. 5. obs. 26. cl. *Consbruch* memorabilem

huc



huc referendum casum doloris periodici atrocissimi, nervorum distentionem minitantis, alternis diebus regulariter affligentis, ab evulso rudi fabri ferrarii manu dente molari nati. A morsu animalium vel rabiosorum vel iratorum, partes tendineas lacerante, furores, convulsionesque periodicas in diariis Gallicis legimus. A vermibus intestina rodentibus manias, certo tempore recurrentes; a bile caustica, tubo intestinorum infusa, choleras periodicas; pluresque alios a similibus causis natos morbos ex observa-

tionibus



tionibus quam plurimis variorum auctorum novimus. Taceo intermittentes omnium ordinum ex iisdem et paribus causis nascentes febres. Hinc et icterum quoque, ex eodem hoc fonte progenitum, periodicum esse, mirum nemini videbitur. Legi possunt auriginum hujusmodi periodicorum regularium exempla in operibus sæpe jam citati *Hoffmanni*, in animadversionibus medicis *Dekkeri* passimque alibi. Altera icteri periodici regularis species illa est, quæ ab affectibus per se periodicis nascitur, v. gr. a

febri-

febribus intermittentibus male curatis, a mensibus suppressis vel difficulter fluentibus, ab hæmorrhoidibus turbatis &c. Ex omnibus his causis regios, et quidem periodicos regulares, morbos in antecedentibus jam pluries citavimus. Tertio loco icterus quoque ille inter periodicos regulares nominandus est, sub cujus larva alius morbus spasmodicus regularis v. gr. febris quædam intermittens latet. Hic soli chinæ cortici cedit. In varias febris intermittens sese formas interdum induit, vix credibiles. Probant hoc hau-

ste



sta ex observatorum monumentis exempla fere innumera. Sub vomitionum, diarrhœarum, ophthalmiarum, choleræ, asthmatis, epilepsiæ, cardialgiæ, peripneumoniæ, rheumatismi, nephritidis, apoplexiæ, aliorumque morborum periodicorum forma, febres tales delituisse memorat in tractatu, quem *de protheiformi febris intermittentis genio* scripsit *Mortonus*; aliaque scitu admodum digna febrium larvatarum exempla exhibuerunt *Forestus* Libr. 4. obs. 39 *Bianchi* Histor. Hepat. 751. *Aetius* Tetrabibl. 2 serm. 2

cap.

cap. 3 *Torti* Therap. fpec. Libr. 1. cap. 10. Libr. 3. cap. 5 & 6. *Schellammer* Tract. 8 de Nat. p. 275., quibus adjungi poterunt, quæ paffim cl. *Werlhof*, *Huxham*, *Sydenham*, & *Lauter* circa eandem hanc materiam congefferunt. Rarum præterea febrium intermittentium genus, totum corpus non occupans, fed fpecialia folum quædam corporis loca invadens, huc quoque forfan referendum defcripfit medicus Bathonienfis cl. *Lyfons* in tractatu cui titulus: *Practical Effays upon intermitting fevers.* Inter ta-

men



men et ante hunc, qui ſebres hujusmodi particulares crediderunt. Dantur præterea aliæ adhuc icteri intermittentis, non quidem periodici regularis, ſed recurrentis vagi ſpecies. Prima inter has illa eſt, quæ a vermibus nascitur, vel potius a lumbricis inteſtinorum teretibus. Accidit ſubinde, ut hi ex natali loco profugi, peregrinam fortunam tentaturi in choledochum ductum intrent; repent tum toto ſuo corpore memoratum hunc canalem, claudant eundem, bilisque in inteſtina descensum prohibent

omni-

omnino. Regurgitare ergo in proxima minora vaſa exitu prohibitam bilem fierique icterum neceſſe eſt, qui tam diu manebit, donec vel ſuperatis canalium biliariorum anguſtiis in cyſtidem penetraverit lumbricus, vel retrograda via in duodenum ſeſe receperit. In priori caſu icterus toties recurret, quoties morſu ſuo irritabit internam cyſtidis tunicam maxime ſenſilem vermis, et naſcetur ab irritamento hoc acutiori contractio partium ſpasmodica. De his in antecedentibus plura. Forte per ſeminia ſua ali-

 quando



quando ad hoc vel illud viscus cum chylo, ſanguine, aliisve humoribus deponuntur varii generis inſecta, variaque tunc creant a propria ſua fabrica, locique ſui natalis, ſeu visceris, in quo hoſpitantur pendentia mala; et hæc icteros producere poterunt puncturis, morſibus, roſionibus, reptatibusque ſuis, ſi in hepate porisve biliariis hæſerint. Alia arcuati morbi vagi recurrentis ſpecies eſt, quæ a calculis felleis, egreſſum ex cyſtide per anguſtiorem canalem emiſſarium molientibus, fit. Concretiones hæ præter-

naturales, quarum ingens ſæpe copia in cyſtide ſellea hærere ſimul ſolet, (e) ex quacunque vel externa vel interna cauſa ſedibus ſuis motæ, et ductui excretorio impactæ, internas horum meatuum tunicas perquam ſenſiles, acutis ſuis, quibus pollent, angulis, irritando et lacerando vel ſpasmum gignunt vias has conſtringentem penitus, vel mole et volu-

(e) Calculorum hujusmodi felleorum 123 ſimul in cyſtide invenit *Fallopius*; 300 *Bartholetus*; 700 *Mentzelius*; plus mille in hac veſicula detexit *Graſeccius*; bis mille in ſenis cujusdam cyſtide coacervatos vidit *Storchius*; numeravitque tria talium calculorum millia ſexcenta et quadraginta ſex in cadavere gladiatoris *Faſchius*



mine ſuo canales biliſeros ita infarciunt et obſtruunt, ut, ſufflaminato bilis in duodenum itinere, reflua hæc in ſanguinem icterum producat toties intermittentem, quoties vel relapſus in locum natalem vel excretus in duodeni cavum calculus talis fuerit; recurrentem vero, quoties alius demuo ſolutus a volumine communi calculus, eandem luſerit ſcenam. Conſule de hoc arquati morbi intermittentis genere cl. *Swietenium* in aphor. *Boerhaav.* Tit. *de ictero multiplici*; item *Thom. Sympſon* in *Actis Edimburg.* tom.

2. art. 28, nec non eadem acta tom. 1. art. 33. præterque hos *Morgagnum*, *Scheffelium*, *Valisnerum* et *Baglivium*. Ultimam tandem a bile ipsa morbosa proficiscentem icteri intermittentis speciem sic concipio: Tardatur, vel ex præternaturali bilis quadam spissitudine morbosa, vel ex angustato a quacunque causa ductu choledocho, liber fellis in intestina descensus, resorbentur sensim per subtiliora lateralia vasa bilis partes liquidiores, remanet crassamentum, quod intra certum quoddam tempus ita au-



getur, ut omnino obstruat biliferos canales pariatque sic icterum. Sanatur hic verisimiliter per excitatum a natura spasmum violentum, vel febrilem, vel per vomitum aut diarrhoeam torminosam, cujus ope collecta hæc spissa et immeabilis materia, vi vasorum jam spastice agentium resoluta, ex canalibus, quas obturaverat, in duodenum exturbatur. Redit, simulac collectum novum ex bile crassamentum, choledochum ductum obsidens, fellis iter denuo interceperit, novamque icteritidi suppeditaverit ansam.

Accidit

Accidit frequenter, ut aut socius febris intermittentis observetur icterus, aut ejus præcursor. Quæritur: quæ hujus phænomeni ratio? Resp. omnis paroxysmi febrilis prima scena spasmus est notabilis periphericus, a partium internarum crispatura natus, quem horrorem vocamus, qui tamen subinde per varios gradus in tremorem, in violentam corporis succussionem, in veros artuum motus convulsivos, in epilepsiam augetur. Exempla *Mortonus in Pyretologia Exercit.* 1. *cap.* 9. exhibuit. Recensuit

alia in tractatu epiſtolari de *purpura* ad cl. *Baldingerum* dato cl. *Hannes*, recenſuerunt alii plures. Interdum ſuccedit in memorati hujus ſpasmi peripherici locum ſpasmus quidam particularis, modo hanc, modo illam, vel externam, vel internam corporis partem quatiens, ægrum non raro et medicum ludens, cujus memorabile exemplum in deſcriptione epidemiæ noſtræ annorum 1769 & 70 p. 117 dedi. Ponamus jam: occupari a ſpasmo hoc febrili particulari ventriculum vel inteſtina. Fit hoc per-

ſæpe;

ſæpe; præprimis ubi fomes intermittentis hujusmodi febris materialis, quem natura per excitatos hos violentiores motus ſubigere et ejicere ex corpore nititur, in ipſis primæ digeſtionis viis hæſerit. Et fieri, manifeſto patet ex familiaribus nonnullarum febrium intermittentium ſymptomatibus, ingruentem paroxysmum immediate præcedentibus, ejusque acceſſum jam jam erupturum plerumque præſagientibus, v. gr. nauſea, cardialgia, bulimo, vomitu, ſingultu, doloribus colicis, borborygmis et



q. f. r. Transit ex tractu intestinali hæc partium crispatura in officinam biliariam, suffiaminat bilis tam secretionem, quam excretionem, agit succum hunc in vasa vicina, qui, accedente brevi postæstu febrili, humoribus intimius mixtus, per totum corpus subito diffunditur, cutimque universam fœda flavedine tingit. Et quid quæso impedit, quominus ipsum choledochum ductum a spasmo hoc febrili aliquando directe affici credamus? Compara cum modo dictis casum illum singularem, quem

Bonetus

Bonetus in nota ad observ. 17. sect. 18. libr. 3. proponit, viri cujusdam, qui a doloribus intestinorum spasmodicis in icterum delabebatur, simulac remedia calida sudorifera ad compescendos hos dolores adhiberentur. Ultimum jam sequitur inquirendum paucis: quo fundamento niti possint illa, quæ ex accessu morbi regii in febribus acutis desumsit prognostica tam in coacis suis prænotionibus H. a. 531, quam in aphorismis 62 & 64 sectionis 4. *Hippocrates*? Scribit ille aphor. 62. *Quibus in febre*

mor-



morbus regius supervenerit ante septimum diem malum est. Et brevi post aphor. 64. *Quibus in febre septima, nona, undecima aut decima tertia die icterus supervenerit, bonum est; nisi dextrum hypochondrium indurescat: In hoc casu non bonum.* Rem ipsam experientia confirmat. Plura sunt, nota ex observatoribus, morborum acutorum genera, quibus criticus talis accedere solet icterus. Observavit *Hoffmannus* in *Med. rat. syst.* Tom 4. *Spec. Morb. Pathol. Cap.* 12 *thes. pathol.* § 17 febres illas, quæ cum spasmis in-

fimi



ſimi ventris vomituque bilioſo et inten-
ſiori æſtu ſtipatæ in corporibus hypo-
chondriacis ſuscitantur, ictero ſuperve-
niente feliciter terminari. Docet idem
in Praxi ſua nova cl. *Shaw*, cap. 13.
art. 4. p. 305. Morbo illo epidemico
mucoſo Göttingenſi annorum 1760 & 62,
quem illuſtris *Röderer* et *Waglerus* de-
ſcribunt, pariter criticus accedebat icte-
rus. Jn febre cholerica critice ſuperve-
nientem icterum felix ubique augurium
dare notat *Commercium literariumNo-
rimbergenſe* an. 1737. hebd. 37. art. 1.

ubi



ubi idem hoc ex obſervatione cl. *Burg-harti*, quam in *Satyr. Med. Sileſiac.* de febri cauſode, ictero critico ſoluta, exhibuerat, confirmatur. Mali præſagii aurriginem morbo Vratislavienſi epidemico an. 1699 acceſſisſe, fert hujus graſſationis hiſtoria pag. 14. Febri acutæ, cum doloribus lateris conjunctæ, ſexta die icterum ſuperveniſſe, memorat *Pelargus* in obſervat. clin. an. 1730 mens. Apr. p. 428, qui et regium hunc morbum febri catharrhali die ſeptimo critice ſupervenientem vidit an. 1729 mens. Nov.

p.

p. 265. Rarum tandem et ſingulare prorſus icteri critici exanthematici exemplum in *Commerc. Liter. Norimb.* an. 1733. hebd. 2 recenſetur. Spasmodica hæc morbi regii ſpecies matrem habet perturbationem illam, ſeu ſpasmum ſolennem universalem, qui temporibus criticis excitari a natura ſolet, ad coquendam, vel præparandam, expulſioni deſtinatam, materiam morboſam. Nulla omnino criſis ſit febrium acutarum ſine prævio hoc naturæ opere præparatorio. Hinc laborioſa illa emergit, ipſam morbi criſin immedi-



mediate antecedens periodus, quam et *Hippocrates* in coacis notavit. Si ſpasmus hic, a natura medicatrice activa excitatus, viribus vitæ, morbique magnitudini appoſitus ita fuerit, ut ſubigi cauſa morbi materialis, vel ejici ex corpore ſimul omnis poſſit, in vado res eſt, et ſequitur plenaria morbi ſolutio. Si autem vel fractæ jam vitæ vires ad opus hoc morbi curationem non ſufficiant, vel ſi ſpaſmi hujus, a natura excitati, vis minor ſit, quam quæ ad excitandam partium reactionem requirebatur, vel materia mor-

bi

bi nimis cruda et tenax partique affectæ altius infixa hæreat, quam quæ resolvi intra datum tempus, corrigi, vel ejici ex corpore tota poſſit; criſis naſcetur imperfecta; ſi vero idem hic ſpaſmus vires vitæ vel comminuat ipſe, vel partes fortuito occupaverit, coctioni aut expulſioni materiæ peccantis deſtinatas, mortem inferet corpori, ad cujus ſalutem fuerat ſuſcitatus. Si ergo ſpasmus ille internus, cujus præſentiam icterus inſequens arguit, ante ſeptimum febris acutæ diem oboriatur, ante quem raro

perfecta materiæ febrilis coctio fieri solet, vanus erit, vires vitæ, ad superandum morbum necessarias, sine fructu exhauriet, coctionis ipsum opus præpediet, liquida corporis corrumpet, morbumque ipsum et longiorem et periculosiorem faciet. Malum ergo dabit pro ægroto augurium. Excipe, si febris hujusmodi acutæ fomes vel in primis viis earumque diversoriis hæreat, ex quibus mediante hoc naturæ nixu violento absque prævia longa præparatione exturbari omni morbi tempore potest, vel si salutare hoc

natu-



naturæ molimen hæmorrhagi[illegible]m excitaverit criticam. Jn utroque hoc casu boni felicisque præsagii esse poterit nascens ante septimum quoque diem ex tali spasmo icterus. Confirmat utrumque per observata sua in Epidemicis *Hippocrates* H. a. 663, ubi *quibusdam* inquit *morbus regius accedit sexta die; verum bis purgatio per vesicam aut alvus exturbata aut larga sanguinis eruptio profuit.* Jdem in Prorrhet. libr. 2. cap. 13. it 29. 7 & 8. repetit: *Quibus sexto morbi die icteri fiebant, bis dysenteriæ supervenientes morbum*



solvebant. Quoad hæmorrhagiam, quæ icterum hunc criticum spasmodicum, si boni præsagii esse velit, sequi ex *Hippocratis* sententia debet, exhibuit diligentissimus observator *Cous* et hujus quoque eventus historiam in Epidem. 7. v. *Charter* Tom. 9. p. 599, ubi de Heraclidis conjuge narrat: febri acutâ laborantem illam, tertia morbi die ictericam factam, per largam subortam narium hæmorrhagiam fuisse sanatam. Faustam ergo et lætam ubique prognosin in febribus acutis icterus ille dabit, qui perturbationis illius

magnæ,

magnæ, vel ſpasmi jam memorati interni, criſin morbi molientis naturæ, ſignum præbet, et a criſi ipſa excipitur, idque diebus criticis bonis. Sin vero vel ægri vires, jam fractæ prius, non ſufſecerint ad producendam perfectam criſin; vel ſi viscus quoddam ſpeciale, aut illa ſpecifice corporis pars a ſpasmo hoc præ aliis fuerit occupata, cujus ope, vel per quam evacuatio intentata critica fieri debuiſſet, male ægroti rem agi, me non monente conſtat. Primum apparet ex loco *Hippocratico* Epid. 1, Text. 45 & 65



Charter Tom. 9. p. 66. Alterum ex Hermocratis exemplo, quod idem *Cous* Epidem. 3. ægr. 2. notavit, ubi loco erupturæ, fortaſſis per organa uropoietica, vel per vaſa ſanguinea narium, criſeos, urinæ aquoſæ tenues, et delirium, utrumque ſpasmos memoratarum partium deſignans, funeſtum tulit icterus ſuperveniens præſagium. Pertinet huc *Celſi* effatum, libr. 2. cap. 7. p. 58.

Sed accedit quoque febribus malignis putridis icterus, non criticus, ſed mere ſymptomaticus, ſiniſtri ut plurimum augurii,

gurii, non ex ſpasmo partium, ſed ex ſolutione humorum putrida, præſertim bilis ejusque cum reliquis corporis noſtri humoribus mixtione, omni morbi tempore, diebus tam vacuis quam criticis enascens, a priori caute diſtinguendus. Docuit nos idem artis noſtræ parens *Cous* characteriſticam illam notam, quæ criticum talem icterum, a ſpasmo partium interno natum, a ſymptomatico interſtinguit. Dicit in libro ſuo de victu acutorum: *In febri bilioſa*, quam per turbatam alvum critice ſolvi jam ſupra monuimus,



nuimus, *ante septimum diem cum rigore morbus regius accedens, solvit febrim: si vero sine rigore accedat, extra temporis occasiones*, i. e. dies criticos, *perniciosus est*. Rigor ergo signum ubique indubitatum stricturarum internarum spasticarum secundum *Hippocratem* esto, hinc nati in substrato casu ex his quoque icteri. Confer hic sequentia *Coi* loca. Aphor. 58, 46, 63. sect. 4. et Epidem. 6, 1, 9. quibus jungi poterunt illa, quae *Galenus* in Comment. ad Prorhet. 6. it. ad sect. 4. aph. 29., nec non quae *Hoffmannus* in

Operi-

Operibus tom. 3. fect. 1. cap. 5.

En igitur L. B. paulula et indigefta quædam circa illam icteri fpeciem, quæ a fpasmo nascitur, attentione Tua, ut fpero, non omnino indigna. Multus in tractatione hujus thematis, quamquam ampliffimum differendi habuerim campum, ut effem, nec temporis copia, nec mens fuit: Et ftetiffe me quoque promiffis, in opusculi limine Tibi datis, fufficienter credo. Vale! noftrisque laboribus in quantum utilitati Tibi effe poterunt benevolusutere!



HISTORIA

ICTERI PERIODICI LETHALIS.

Vir perilluſtis ex ordine equeſtri, cui liberalem corporis habitum, proceram ſtaturam, roburque vere virile largita fuerat mater natura, annos ſuos juveniles, quos inter generoſa corporis exercitia, in hippodromo, palæſtra, ſaltatorioque ludo, actuoſus ſemper conſumſerat, ſaniſſimos tranſegit, licet ſtrictiores frugalitatis leges non ubique obſervaverit. Ante aliquot luſtra tempus erat, quo natis in uſum lætitiæ ſcyphis pugnare



gnare Tracum more mos erat: Hæc periodus illa erat, qua viriles annos ingrediebatur. Quid mirum, si vitæ et sanitati adeo damnosæ huic consuetudini dare interdum aliquid cogeretur, nisi hominis singularis invisum nomen ab amicis mereri vellet. Lautus ad hæc victus, rerum feriarum incuria, vita, si itinerationes aliquot breves voluptuarias excceperis, deses et delicatula, cui dispositio hæreditaria magnaque ad excandescentias animi promptitudo accedebat, hospitem tandem ingratum, pauperum tabernas

raro

paro incolentem, divitibus autem lautioriisque fortunæ hominibus familiariorem, sacram podagram vitæ insequentis fidum aliquamdiu comitem ipsi acquisivit, tanto semper crudeliorem, quanto magis genio suo indulserit herus. Ne autem sola in corpore hoc bene curato esset et vidua podagra, alia accessit morbonæ filia, plethoræ excedentis medicatrix et socia, hæmorrhois, magno per paroxysmos cruciatu virum hunc illustrem divexans, postque longos et irrites utplurimum conatus, pauxillum de-

numm



mum cruoris atri cum tenaci muco remixti enitens. Per annos aliquot continuos alternis hæ vicibus affligebant sic, ut tempore plerumque brumali podagra, reliquo autem hæmorrhoidibus per periodos ægrotaret. Sub hoc tempus, mortuo fratre, in patria bona succedens, et consortio amicorum ereptus suique tandem juris factus, vitæ usque huc actæ valedixit, sobriamque, et sanitatis legibus accommodam magis vivere instituit vitam. Quo factum est, ut accedente simul congruo corporis exercitio, a rerum



necessariarum præsertim ruralium attentiori cura procedente, per longum tempus non solum a podagra et hæmorrhoidibus manserit omnino immunis, sed tam adeo firmum recuperaverit corporis habitum, ut bis maritus, tredecim liberorum pater, per quatuor integra lustra vixerit sanissimus. Tandem sexagenario major, variis animi curis circumactus, segniorque ad consuetos corporis motus, domui continuo affixus, relabi in vehementiores animi excandescentias data vel minima occasione, maleque inde semper

habere



habere instituit, sic, ut diarrhœa jam corriperetur, jam nausea, jam doloribus colicis aliisque spasmodicis infimi ventris motibus; vel erratica febre languenteque per aliquot dies appetitu exinde mulctaretur. Adhibita his malis interdum evacuantia aliaque ab ægro ipso congrua reputata temperantia remedia recurrentes hos sæpe paroxysmos feliciter profligabant; minimus autem in nonnaturalibus rebus commissus error novas semper creabat molestias atrocissimosque tandem a spasmo ventriculi oriundos dolores qualibet

vice



vice producebat. Jam anxius fieri, jam neglecta ante ad radicalem curam propofita remedia follicite quærere, omnemque ad debellandum atrox hoc malum movere lapidem cœpit; nec fruftra: filuit per aliquot menfes morbus, felicesque jam ab ufu medicamentorum eventus fibi gratulabatur illuftris æger, cum nuptias filiæ celebrans, infirmitatum fuarum immemor, genio fuo forte largius indulgens, doloribus acerbiffimis circa fcrobiculum cordis, ad dextrum latus usque propagatis, corriperetur, poft femihorium

rium largo biliofo vomitu folutis. Ad hæc horrere incipit, tremere, præcordiorum anxietatibus et frigore fere focratico per aliquod tempus premi. Quæ tamen omnia accedens naturali auctior calor profufusque erumpens fudor fenfim fugavit. Jam fomnus fequebatur profundus, per quadrihorium forte protractus, quo finito, depulfum omnino credidit morbum ægrotus. Brevi autem poft ofcitationes levisque lumbos perreptans frigidioris auræ fenfus, nafi refrigerium unguiumque et digitorum manus cœru-



lescentia novum nascituriantis febris insultum indicabant. Sine doloribus, sine vomitu, sine tremore hic quidem decurrebat, effero tamen æstu corpus fatigabat, sudoresque exprimebat effusissimos. Reddita hoc tempore urina primo ignea fuit, dein profundo rubra, mox ad saturatissimum colorem brunum vergens, ultra fidem crassa, turbida, vere icterica, papyrum linteaque immissa saturatissimo croceo colore perfudit. Simili modo et manans pleno rivo ex corpore sudor quævis ad eundem detergendum

adhibi-

adhibita lintea intenſa flavedine tinxit totamque corporis ſuperficiem colore ſaturato aurantio notavit. Obviam huic morbo ibatur, dum in paroxysmo violentiora naturæ molimina remediis notis antiſpasmodicis temperarentur, pulſo autem hoc, effuſa in ſanguinis laticem biliofa materia aptis medicamentis exterminaretur, ſimulque aperientibus et reſolventibus remediis bilis ſpiſſitudo, quæ ſubeſſe, nec immerito, judicabatur, corrigeretur ejusque coagulum funderetur. Hoc fine, et ne collecta forte in primis viis



faburra morbo novum feminem fubministraret, fuadente cl. *Leidenfroftio*, cujus prudentiffimis confiliis in morbi progreffu fæpe dein ufus fui, tincturam rhabarbari aquofam cum liquore terræ foliatæ tartari maritatam, per pluros feptimanas continuas haufit. Neque et hoc remedium aufpicatos tulit opes; præcipue quum accedente hyeme, et cum hac intempefto et pluvio cœlo ad omne commotionum folitarum genus via non folum præcluderetur, verum ipfa quoque mens magis quam par erat negotiis intenta,

ingra-

ingratis continuo affectionibus agitaretur. Hinc quovis fere mense, eundem hunc paroxysmum febrilem, ictericum, primo per omnia similem, vehementiæ solum gradu dissimilem, passus est, sine ullo vel minimo corporis visibili detrimento.

Appropinquante vere, multifariis sub clementiori cœlo institutis levioribus corporis exercitiis, itineribus brevibus, deambulationibus, equitationibus, vectionibus in rheda, potuque medicato ex succo herbarum recentium, cichorei, taraxaci, fumariæ, cherefolii, nasturtii, cochleariæ,



frequentiorem morbi recursum præver-
tere, nec sine successu tentabatur. Tri-
mestre et plus transierat ab omni febris
hujus ictericæ invasione omnino vacu-
um. Verum enim vero, dum minime
de ejus reditu cogitarem, aderat rursus,
per cibum dyspeptum largius sumtum
evocatus, quem pulsum opinabamur,
hostis, tam quoad dolores exquisitos,
quam quoad febris violentiam icterique
insecuti pertinaciam prioribus omnibus
paroxysmis auctior.

Circa hoc tempus dolores artuum in-

feriorum

feriorum, podagricis haud absimiles, intercalares periodos non solum notabant, sed ingruentem quoque quemlibet paroxysmum ad æstum usque febrilem comitabantur; sub ipsis autem sudoribus, universum sinistrum latus, a femore ad pedis extrema usque sudabat nunquam. (sinister pes præ dextro podagræ olim sedes fuerat primaria). Hinc, quum subesse fortassis collectam denuo materiam aliquam podagricam vel arthriticam naturæque ad hanc expellendam conatus, non sine probabili causa crederetur,



pes uterque aquæ calidæ, furfuribus floribusque sambuci remixtæ, immergebatur sæpius, quin et pannis quoque laneis fricabatur quotidie. Simul, ut robur corpori adderetur, ad perficiendum illud, quod moliri natura videbatur, opus, corticem peruvianum, rhabarbaro nuptum vinoque rhenano aquæque communi incoctum, cui essentia corticum aurantiorum tartarique solubilis aliquantum accesserat, quater de die ægrotus sumsit, eo cum successu, ut licet manifestaverint se leves podagræ renasciture paroxysmi,

per

per periodos nihilo secius tamen rediret icterica febris, modo cum, modo sine doloribus sæpe memoratis.

Anno sequente, quum mutare locum dolores, et a lumbis ad superiorem abdominis partem ascendere viderentur, variique accederent infimi ventris motus spasmodici, borborygmi, colicæ, frequentes tenesmi, lumborumque et dorsi dolores vagi, ideam moverant, de latentibus forte sub larva hac peregrina moliminibus hæmorrhoidalibus, itaque et quæ huic scopo facere possent medi-



camenta tam externa quam interna ex pharmaceutico et chirurgico fonte desumta, per integrum fere annum adhibita sunt; sed et hæc quoque sperato carebant successu. Pergebat tramite solito per paroxysmos febris, cujus solutionem icterus semper excipiebat per aliquot dies constans, sponte dein solutus. Neglectum interea nihil omnino est, quod ad deobstruenda, quæ infarcta jure credebantur, minorum ordinum biliaria hepatica et mesenterica vasa, quod ad solvendam et fundendam tenacem ad con-

cretio-

cretiones forte pronam bilem, quod tandem ad liberandas a ſordibus primas vias earumque diverſoria aptum ullo modo judicaretur. Hauſta ſunt ex aperientium claſſe apozemata per integros menſes; vocata in uſum tam externum, quam internum, ſaponacea, continuatus ſatis diu eſt tartari ſolubilis, melle remixti, uſus; quin, quam diu per anni tempora licuit, firmato prius per medicamenta appropriata corpore, vel ſuccos herbarum recentes aſſumſit, vel ſelteranas aquas; incaſſum omnia. Viſa ita-

que



que morbi pertinacia, illoque jam adsuescens æger, remediis jam parcius, diæta autem tanto strictori uti cœpit; sic tamen, ut leni rhabarbarino laxante elueret subinde intestinalem tubum, motuque corporis quotidiano languentem humorum circulum excitaret. Ferre hæc egregie visum est fatigatum tot remediis corpus, fueruntque periodi, ubi per quadrimestre fere a paroxysmo suo febrili icterico vixerit immunis. Ridere ergo subinde per jocum curas nostras medicæque artis adunamiam cœpit vir illu-

stris

ſtris ſuæque naturæ tanto magis prædicare excellentiam indolemque incomparabilem, quæ tanto medicamentorum farragini non ſuccubuerit tota, dicens, fugiturum ſe impoſterum cum medico medicamenta omnia et exſpectaturum a fato, quod per hippocraticam artem non daretur, ſanitatem. Neque ſtabiles fuerunt induciæ hæ inſidioſæ; potius inſolita recrudescebant vehementia, paroxyſmi breviores metiebantur periodos, duplicique jam febre regulariter conſtabant. Erat ergo hæc cujuslibet invaſionis fa-

cies



cies: ſuboriebatur primum in abdominis inferiori plaga ingratus ægro ſenſus, non quidem dolorificus, neque gravis, ſed peregrina quædam et præternaturalis ægro inexplicabilis ſenſatio; hanc dolores excipiebant cardialgici, per totum dextrum latus mox diſtribuendi, exquiſitiſſimi, lacerantes, quos horror ſequebatur, dein frigus febrile, ſub quo ſitis inexplebilis. Reſtinguebatur hæc potu aquoſo tepido, demulcente. Jam æſtus ſeſe manifeſtabat, poſt ſemihoram ſubinde in ſudorem profuſiſſimum tranſiens, ſub cujus

acceſ-



acceſſu poſt ſtrangurioſos aliquot nixus urina tandem fluebat copioſa, in principio coloris aurantii, mox fusca, ſpiſſa, unctuoſa, & icterica, quæ eodem modo uti et erumpens ſudor lintearmina ſaturatiſſimo croceo colore tingebat. Simulac tranſiiſſe bilem in humorum maſſam ex ſignis his manifeſtis appareret, ſomnus invalebat oppreſſivus, profundus, comatoſus, ex quo non niſi longa opera et ne hac quidem omnino expergefieri poterat. Ad quadrihorium hic ut plurimum protrahebatur, quo finito, hebes

per



per aliquot horas jacebat, poſtea autem ſenſim menti redibat ſerenitas, quam tamen hoc ipſo tempore erumpens novus, priori ſimillimus paroxysmus, per horrorem, frigus, æſtum, ſudores, ſomnumque hunc altum jam recenſitum decurrens rurſus fugabat.

Triennium ſic et ultra inter recurrentes hujus morbi profecto rari et pertinacis paroxysmos effluxerat, quum ingruente autumno, veloci nuntio, ut quantocyus poſſem ægroto adeſſe velim, monerer. Ira præcox febrim incenderat.

Obedii,

Obedii, invenique perilluſtrem virum a paroxysmo primo jam finiente defatigatiſſimum. Dolores vehementia ſua omnes, quotquot jam ſuſtinuerat paroxysmos, ſuperaverant, propagatique jam ad ima pectoris penetralia ægrotum ad extrema usque defatigaverant. Jnſtabat jam alter, cujus acceſſum cœruleus unguium color renaſcituriensque in abdomine dolor nuntiabant. Pulſum quum tangerem, inordinatiſſimum hunc inveni, tam ratione magnitudinis, quam oſcillationum. Jntermittebat ad tertium



vel quartum ictum, modo semel, modo bis, digitique exploratoris omnem sæpe sensum effugiebat. Confusus totus erat. Accedebat his omnibus mira præcordiorum anxietas, palpitatio cordis, animique dejectio visibilis. Occupabat totum corpus rigor. Lacessebant inferiorem ventrem borborygmi. Ergo ruere jam in pejus morbum, maleque totam rem agi manifestum erat. Ego statim ad solvendas illas, quæ in abdomine nidulabantur, partium stricturas spasmodicas, ex herbis emollientibus, in

lacte

lacte dulci coctis, quibus ſaponis veneti oleique lini una alterave uncia fuerat adjecta, enema injici curavi, ſimulque totum abdomen eodem hoc fotu emolliente involvi, utque ſimul hypochondrium dextrum lacte dulci, in quo venetus ſapo ſolutus fuerat, fricaretur, ſuaſi; oleum autem amygdalinum dulce calidum, cui aliquot liquoris anodyni Hoffmanniani guttulas inſtillaveram, cochleatim ore hauriendum præbui, unde prompta dolorum obmutescentia non ſolum, ſed et frigoris quoque inſequentis febri-



lis reſtrictio notabilis celerque ejusdem in calorem, ſudorem et ſomnum tranſitus. Quæ poſt paroxysmum prodibant fæces gryſeum ferebant colorem, intercepti biliferi ductus indices, quibus et ictericus totius corporis color accedebat teſtis. Sopor, ad plures horas protractus, animi alacritatem non nihil obnubilavit. Rediere tamen intra paucos dies ſub uſu decocti aperientis, blandis reſolventibus et analepticis juncti, inclinatæ corporis vires, conſuetusque vigor. Recludebantur ſub continuato emollientium exter-

norum

norum frictionumque usu clausi bilis meatus, colorque cito corpori redibat naturalis. Sic liberum se jam ad longum tempus a paroxysmo futurum sperabat æger, quum post decendium eadem, sed leviori aliquantum febre, a doloribus vacua premeretur, quam sexta die rursum paroxysmus sequebatur, post triduum denuo recurrens. Erat hæc *prima Septembris*. Qui autem subsequentem *tertiam* hujus mensis *diem* notabat insultus, omnes unquam prægressos atrocia superabat. Prima vice hic ante prandium hora ma-



tutina undecima invaluit, per omnes notatos gradus intra quinque horas ad sudores usque procedens. Vix autem deferbuerat ille totamque corporis superficiem fœda aurigine tinxerat, quum alter hora quarta pomeridiana superveniret paroxysmus, doloribus ventriculi, cardiæ, totiusque dextri lateris notabilis. Contractus simul spastice ventriculus vanos ad vomitum elicuit conatus, urgentesque jam enormiter dolores mirum quantum auxit, sic ut anima fere defecerit. Solvit quidem insequens febrilis sudor

horum

horum vehementiam; mansit tamen post depulsam quoque febrim pulsus irregularis, intermittens, inæqualis, pectoris oppressio, palpitans cor, dejecta mens, ciborumque omnium fastidium. *Die Septembris quinta* circa nonam matutinam, statim ac primi spasmodici motus febriles corpus pervaderent dolorumque circa præcordia prima vestigia sese manifestare sensimque ad stomachi sedem prorepere occiperent, applicata sunt universo abdomini fomenta ex herbis emollientibus cum floribus chamomillæ, sambuci et meli-

loti in lacte dulci coctis; injectum ex iisdem clysma, haustumque calide decoctum florum chamomillæ saturatum. Ad hæc dolores evanescebant brevi, febris autem tenore solito non mutata perrexit totaque post octo horas soluta est. Supererat et ex hoc paroxysmo pulsus ataxia, frequensque remissio, palpitationes cordis, anxietas &c, corpusque totum intensa perfundebatur flavedine. Post viginti novem horarum apuretarum inducias, in quibus decoctum chamomillæ pro medicina dabatur, *sexta* mensis *die*, hora

octava

octava vespertina nova exarsit febris, antecedenti paroxysmo multo quidem mitior, sed totam noctem virum illustrem divexans, doloribus capitis gravativis obtusis signata. Exhibebatur in paroxysmo temperans nitrosus pulvis, cui aliquot liquoris anodyni guttulæ adjiciebantur, unde parum vel nihil auxilii, potius intermissiones pulsuum magis increverunt auctaque est ominosa pectoris angustia. Deferbuit tandem febris cessavitque omnis humorum æstuans ebullitio. Eluebatur tunc enemate blando emolliente alvus,



involvebatur fotu ex lacte dulci fapona-
to totum, quod dolore obtufo premi per-
gebat, dextrum latus, fimulque in ufu re-
medii refolventis et aperientis continua-
batur, quum poft quinque liberas a febre
horas *feptima* Septembris hora decima
matutina frigus denuo ingrueret pene-
trantiffimum, ita ut quateret ægroti mem-
bra, cumque hoc dolores profundi obtufi
in latere dextro, ad cordis fcrobiculum
usque tendentes, qui tamen fimul cum
frigore per applicata indefeffo labore cor-
pori externo fomenta calida emollientia

brevi

brevi ſuperabantur. Febris interim æſtuoſa fuit, ſitis præter morem nulla; frigoris tempore dolores ægrum fatigabant ſtranguriosi, non niſi poſt finitum primum febris ſtadium ſoluti. Sudor inſequens profuſiſſimus erat cum ſopore vere comatoſo, omnium medicamentorum applicationem prohibente. Deſiit tandem hora quinta pomeridiana febris, pulſum poſt ſe relinquens inordinatiſſimum, cordis palpitationes, pectoris anguſtias, membrorumque debilitatem ſummam; neque a paroxysmo hoc quicquam reſpi-



raverat æger, quum media nocte denuo horrore febrili, ſed absque doloribus, infeſtaretur. Frigus iterum inſigne fuit et ſuccuſſiones corporis perquam vehementes, ad ſesqui horam fere perdurantes; æſtus moderatior ſequebatur, et ſudor copioſiſſimus. Ceſſante hoc circa horam octavam matutinam, pulſum tetigi eumque mire vacillantem deprehendi et inordinatum. Dedi jam corticem peruvianum primo poſt paroxysmum momento qualibet hora ad ſcrupulum unum ex emulſione refrigerante. Poſt quatuor

exhi-



exhibitas doſes pulſus ordinatior fieri, et poſt ſex ſcrupulos ſumtos omnino in orbitam redire cœpit. Siluit febris, mensque ſerenior facta. Exulavit quoque brevi ictericus corporis color, rediit appetitus, ſumſitque ſub vesperam juſculum ex pullo æger. Nox ſolito quietior fuit, ſomnus vero nondum reficiens redierat. Continuabatur ſequenti quoque die in corticis hujus benefici uſu, ſubque ejus præſidio ob halitum oris fœtidiſſimum, pulverem laxantem ex rhei granis duodecim, digeſtivo ſale remixtum, exhibui,

unde



unde ſedes binæ. *Decima* ſequenti menſis *die*, omnibus in melius abire viſis, dato conſilio ut, uti factum hucusque fuerat, ſtatis horis exhiberetur ſolita gananaperidis doſis, ægrum ſub inſtantis ſanationis ſpe reliqui. Verum aliter res evenit: Nocte enim *undecimam* præcedente hora nona vespertina febris iterum rediit, neque ante tertiam matutinam ſoluta eſt. Frigus tamen et æſtus inſequens decreverant, ut et reliqua morbi ſymptomata moleſtiora. Continuabatur poſt ſolutum paroxysmum in uſu



corticis. Adaperta hac die enemate alvus fæces eduxit colore naturali tinctas, neque et aurigo post hunc insultum corpus fœdavit. Pulsus apyrexias tempore pacatus omnino fuit et ordinatus, viguit appetitus, ministratumque sobrium licet prandium bene et sine ullo incommodo digerebatur. *Undecima* ipsa Septembris vacua omnino a febre fuit, sic ut accedere jam ad tertianæ typum rebellis hæc febris videretur. Animum hoc medicanti addidit, resuscitavitque ægroti jam projectam spem. Pergebatur in exhibi-



hibitione peruviani corticis, unde tantum jam evenerat boni. Non tamen hic prohibuit, quominus ſub diluculum ſequentis diei hora tertia matutina poſt viginti quatuor liberas omnino a febre horas primi rurſus ſe manifeſtarent erupturi paroxysmi præcurſores, dolores nempe gravativi, totam dorſi ſpinam pervagantes et lumbago intolerabilis. Frigus, quod ſequebatur, breve erat, ſed vehemens, calor longior, ſudor profuſiſſimus. Frigoris tempore ſitis iterum urebat ægrum inexplebilis, eoque ſiniente viſcidum

gluten,

gluten, tetrum, ſingularis corrupti odoris, ova putrefacta olens, continuo ſcreatu ex trachea propellebatur; totus autem paroxysmus intra ſex horas integre ſolutus eſt. Adhibebatur tempore a febre vacuo, ut factum hucusque fuerat, febrifugus cortex, ita tamen, ut jam omni ſesquihora drachma ſemis aſſumeretur. Manente ſic eadem remedii exhibendi intra certum tempus quantitate, doſes ſolum ſingulæ augebantur, neque et hoc ſperatum tulit effectum: *decima* enim *tertia* Septembris hora nona matu-



tina poſt viginti rurſus et quatuor horarum inducias paroxysmus novus acceſſit, præcedenti omnino ſimilis, tam ratione durationis, quam intuitu evacuatæ ſub caloris febrilis initium materiæ putridæ graveolentiſſimæ per ſcreatum continuum levemque tuſſiculam. Jn hoc, ultimisque præcedentibus paroxysmis, quum inferiores corporis partes non ſudarent, licet reliquum corpus ſudoribus difflueret, balnea pedibus applicare, eaque ad ſolvendos infimi ventris ſpasmos, cujuslibet invaſionis præcurſores, ſæpe

repetenda

repetenda ſuaſi; quin ad minima ingruentis febris indicia ut confeſtim adhiberentur auctor fui. Pergebatur in peruviani corticis uſu, ita tamen, ut prima poſt ſolutam febrim doſis ex anatica quantitate rhei et chinæ ad grana quindecim conſtaret; id quod ob alvi ſegnitiem judicabatur neceſſum. *Die decima quarta*, quum ſenſationem quandam ingratam febris prænuntiam accuſaret æger, tentare ſubiit mentem, num prævenire alio modo paroxysmum, ſicque ſubigere obſtinatiſſimum hunc morbum liceret. Ex-



hibui itaque hora ſexta matutina olei animalis Dippelii guttas quinque et viginti, inſequebatur ſomnus placidus mollis levisque tranſpiratio; expergeſiebat hora nona pavidus et febricitabat. Fuerat igitur tempus a febre vacuum novendecim horarum, ipſe autem paroxyſmus intra quinque horas ſolvebatur. Finito hoc æger optime habuit, dormivit placide, pulſus et appetitus boni fuerunt, digeſtio laudabilis; hinc in uſu corticis continuabatur. Sequenti die felicior non fuit propinati animalis olei

eventus;



eventus; jam enim tertia hora matutina febris denuo accenſa, ſex iterum horis anticipans. Non deſæviebant quidem amplius tanta ferocia ſoliti abdominis præſertim hypochondrii dextri dolores, ſed hebes quidam profundus et obtuſus doloris ſenſus hepatis regionem occupans ægrum aſſiduo vexabat; hinc frequenti enemate fota interna hæc regio, fotus quoque ſuperimpoſito externe lacte dulci totus hic tractus. Jpſe hic paroxysmus intra quatuor horas metam ſuam percurrit. Poſt ſeptendecim horarum



intervallum media nocte redibat febris, prioribus similis, intra quadrihorium soluta. *Die decima sexta*, quum circa decimam matutinam ex minori et contractiori pulsu accessionem novam febris metuerem, theriacam Andromachi ex haustu vini calidi dedi, visurus, an febrile frigus sic prævenire liceret. Dormivit placide ab adhibito pharmaco æger, respiratio pulsusque fuerunt magni, madebat aucta transpiratione corpus, evigilabat statim post duodecimam, sustinuitque somnolentus adhuc febris in-

gressum.

greſſum. Jpſe autem paroxyſmus brevior fuit et levior antecedentibus, urina, hodie in febre miſſa, icterica quamvis fuerit, nullum tamen depoſuit, ut ſolebat, ſedimentnm. Poſt febrim reddita, quum per quinque horas ſteterit, turbata demum apparuit, nec, niſi poſt octo integras horas parcum depoſuit ſedimentum. Hora ſexta vespertina rediit febris priori major, intra trihorium tamen ſoluta; nox reliqua placido ſomno tranſiit. Sub meridiem *decimæ ſeptimæ*, cum inſtantem paroxyſmum ex decre-



ſcente pulſu, naſi extremi refrigerio, notisque aliis ſignis ſuſpicarer, unguentum nervinum cum oleo juniperino et therebinthinæ dorſo infricui; quo facto ipſam febris eruptionem ad ſeram veſperam retardavi, euntibus interim et redeuntibus continuo per corpus horroribus. Redditum hodie lotium levem ſolum nubeculam poſt refrigerium oſtendit. Alvus pulvere rhabarbarino aperta. Media nocte paroxysmus febrilis erupit levior et admodum brevis, habuitque ſe multo melius æger dum febricitaret,

quam

quam ante febris eruptionem. *Die octava decima* ſpinam iterum perfricui et ante paroxysmum ingruentem roob ſambuci exhibui ex multo potu calido aquoſo. Totum præterea abdomen fotu emolliente involvi, pedibus ſuccupium paravi, ſicque emollito, quantum licebat, toto corpore, abſterſum ægrum tepido commiſi lecti calori. Egregie hoc tulit illuſtris ægrotus; ſudavit brevi poſt, et ſudans adhuc circa ſextam veſpertinam febriliter horruit, vehementemque ſuſtinuit paroxysmum, urinam, ſudores,



totumque corpus icterico colore fœdantem. Dolores adfuerant nulli, ſomnus autem ſecutus eſt vere comatoſus. Dabatur ſtatim poſt finitum paroxysmum gananaperidis extractum in decocto quinque radicum aperientium ſolutum ſaleque reſolvente nuptum. Hauſit apozematis hujus ſingulis horis unciam unam, eo cum ſucceſſu, ut ſequenti jam mane hora octava antemeridiana poſt decem horarum apyrexiam febricitaverit. Soluto paroxysmo inquietus admodum æger fuit, nubila mens, ſenſusque valde hebetes.

betes. Alvum hac die clysma aperuit fæcesque elicuit coloris naturalis. *Die vigesima* ante diluculum hora matutina tertia jam rediit febris, qua pulsa in medicamentorum memoratorum usu perrectum, nihilo tamen minus post septem horarum a febre veniam hora quarta et dimidia post meridiem a morbo rursus affligebatur. Paroxysmus hic, sex horas cum dimidia durans, vires ægri admodum proculcavit. Somnus intercalari tempore tranquillus fuit et reficiens. *Vigesima prima* unguentum dorso infri-

ctum,



ctum, potum calidum copiose exhibitum, continuas abdomini applicatas fomentationes pedumque frictiones et natam inde diapnoën mollissimam elusit pertinacissimus morbus; hora enim ante meridiem nona frigere jam et febricitare incepit, sed sine vel minimis doloribus, aut frigore notabili; insequens vero æstus siccus diutius perstitit; hora enim tertia pomeridiana demum in sudorem solutus est. Urina mitescente frigore missa mox subsedit, uti et illa, quæ æstus tempore excernebatur, et post i-

psam

piam solutam omnino febrim. Pergebatur in remediorum præscripto usu, præsensque jam aderat hora nona vespertina hostis, ad tertiam matutinam usque ægro incommodus. Notabilis erat hic paroxysmus ob nuchæ scapularumque dolores atrocissimos, frigoris tempore invalentes. *Die vigesima secunda* circa nonam matutinam febre jam decubuit. Duravit ad sesquihoram usque frigus, plus bihorium æstus consumsit, protractusque fuit sudor ad tertiam vespertinam, sub quo largus iterum materiæ purulentæ putri-



dæ per ſcreatum proventus. Miſſa hodie urina vix turbabatur, quum diebus antecedentibus cito præcipitaretur. Somnus, qui ſequebatur, tranquillus erat et reficiens; febris autem hora poſt mediam noctem dimidia eundem interrupit; levior autem hæc prioribus fuit, qua finita infuſum chamomillæ cum ſalibus reſolventibus exhibebatur. Novus febrilis paroxysmus hora poſt meridiem ſecunda hujus diei invaluit, frigus tolerabile fuit per horulam affligens, æſtus ad quartam usque duravit, ſudor quin-

ta abſolvebatur. *Vigeſima quarta* ſub noctem inter tertiam et quartam matutinam febris merſum veternoſo ſomno ægrotum corripuit, friguerunt manifeſto extrema omnia, manus, pedes, naſi apex, ſolutusque intra trihorium primo in æſtum dein in madorem languidum febrilis hic paroxysmus eſt, absque quod æger ipſe comatoſo hoc ſomno evigilaverit. Urina, quam vigil dein miſit, bruno colore ſaturatiſſimo conſpicua, turbata licet, demiſit omnino nihil. Alvus hodie clyſmate adaperta fæces exhibuit colore na-

turali



turali tinctas, oculi tamen albuginea, facies, collum, totique humeri arcuati morbi præbuerunt indubitata signa. Post prandium somnus iterum accessit, subque somno dispnoe; cumque hor pomeridiana tertia ex refrigerio extremorum febris reditum auguraretur ægrotus, quieti sese dedit, absque quod, quam timuerat, febris erupisset. Rediit tamen post bihorium horror frigusque febrile, secutusque brevi est calor sudorque solitus. Nox ipsa sine febre quidem sed inquieta admodum transiit. Sub

dilucu-

diluculum *vigesimæ quintæ* pulsus naturali citatior erat magnaque ad somnum proclivitas. Lotium, quod hoc tempore reddidit, circa meridiem turbatum, sedimentum serius dimisit, ex bruno gryseum. Circa hoc tempus animi serenitas aliquantum rediit, discussaque videbatur mentis hebetudo. Qui apponebatur ex jusculo avenaceo citrato coctisque spinachiis cibus, cum appetitu consumtus est. Oris halitus foetorem jam monstrabat teterrimum, quin et productus screatu fortiori ex larynge humor purulen-



tus, nauseosissimus fuit. Tardiorem alvum exhibita rhabarbari pauca grana bis aperuerunt. Hora circiter quinta frigoris penetrantissimi, corporis interna pervagantis, sensus ægrum invasit, cum doloribus regionem hepatis occupantibus, neque tamen partes externæ ad attactum frigus aliquod prodiderunt; pulsus vero mire parvus fuit et contractus. Stadio hoc intra horæ dimidium absoluto calor vix notabilis secutus est, paulo post ad madorem transiens, quem somnus excepit solitus oppressivus. Uri-

na, ſub febre miſſa, omni nota icterica erat. Hora noctis nona, quum ægro præſens pulſum deprehenderem naturali multo citatiorem, potiunculam temperantem acidulatam exhibui, qualibet hora reiterandam. Hora matutina ſecunda poſt aliqualem dorſum pererrantis frigidioris auræ ſenſationem dolor ex improviſo erupit atrox, lancinans, ſcindens, totum dextrum latus omnemque epigaſtricam regionem occupans, adeo vehemens, ut ab ejulatu vix abſtinere poſſet conſtantis ceteroquin et firmæ mentis

 vir.



vir. Pulsus ad hæc sensim ex parvo et contracto remittens myurus et quam maxime inordinatus fieri cœpit, frigebant extrema, sudorque gelidus unctuosus occupabat frontem. Vocatus ego potum theæ calidum cum liquoris anodyni aliquot guttis propinavi sine ullo levamine. Applicabatur toti lateri dolenti fomentum calidum emolliens, neque et hoc exspectationi satisfecit. Jnjiciebatur ejusdem virtutis enema, cui sapo venetus oleique lini blandi aliquantum addebatur, verum et ex illo, quamvis

repe-

repetito, nullum levamen. Tandem infusum florum chamomillæ utriusque quantum potui saturatum ad uncias duas, calens, uno haustu exhibui, quod intra quinque horæ minuta dolores compescuit pulsumque orbitæ suæ reddidit, nisi quod naturali frequentior maneret, postquam ad sextam matutinam usque ominosus hic status duraverit. Pulso hoc paroxysmo tensum nonnihil seu inflatum potius molliter hypochondrium dextrum apparuit et mansit deinceps, sed sine ullo perceptibili fluctuationis alicujus

 sensu.



ſenſu. Soluta poſt bihorium ſponte ſúa alvus excrementa dedit coloris naturalis, urina autem expulſusque ſudor ab admixta bile multa intenſe flavebant, juſculum ex pullo paratum, ſpinachiæ coctæ, appoſitaque lactuca capitata cruda cum appetitu ingerebantur, ipſeque æger ſumto hauſtulo vini rhenani, aqua diluti, pro morbi ratione optime valuit. Dormivit placide ad tertiam usque pomeridianam, transſpirabat leviter ſub ſomno corpus, evigilabat alacris æger, totumque hoc tempore corporis ſuperficiem

foeda

fœda aurigine perfuſam mirabatur. Data ſubinde fuit ad compeſcendum ſanguinis orgasmum mixtura antiphlogiſtica, auctus tamen nihilo ſecius ſub veſperam pulſus eſt, manſitque citatior per integram noctem, quæ continuis jactationibus inſomnis conſumebatur. *Vigeſimæ ſeptimæ* diei matutinæ horæ tranquilliores licet fuerint ſomnusque placidus acceſſerit, pulſus tamen febrilis eſſe perrexit. Datus cum lapidibus cancrorum remixtus rhabarbarinus pulvis, ſaleque vegetabili nuptus, non quidem alvinam,



ſed cutaneam potius excretionem promovit, factusque eſt ſaturatior, qui faciem et collum jam ante tinxerat, ictericus color. Urina fere nigra excernebatur, craſſumque et copioſum depoſuit ad fundum matulæ ſedimentum. Ceterum tota hæc dies quieta ſatis tranſiit, et, ſi febrim continuam exceperis, ſatis tolerabilis, uti et inſequens nox. *Poſtridie*, manifeſtantibus ſeſe iterum doloribus, fomentum ſæpe jam probatum emolliens opponi cum fructu. Hora undecima matutina tendi abdomen, et reſpiratio

per

perquam difficilis eſſe cœpit, opprimebatur pectus, rediitque inquietudo. Pulſus ſimul parvus reddebatur per varios gradus, mireque contractus. Rigebat totum corpus, faciesque collabebatur tota. Ego extrema perfricare, pedibus lagenam, fervida plenam, ventrique univerſo fomentum adhibere blandum emolliens, quin clysma quoque ſolitum injicere conſtitui, analepticam inſuper ore hauriendam exhibui potiunculam. Continuata et repetita hæc aliquoties per integrum trihorium non prohibuerunt, quo



minus ſecunda poſt meridiem hora frigus erumperet febrile intenſum, univerſale, cum ſuccuſſione membrorum violenta, ſpirituque quam maxime intercluſo. Pulſus iterum adeo contrahebatur, ut digiti ſenſum fere effugeret. Linquebatur animo æger, duravitque dubius hic ſtatus ad tres horæ quadrantes eo gradu, ut de caloris reditu vix non deſperarem. Tandem ſine inſequente notabili calore mador ſecutus eſt corporis unctuoſus et languidus, quem repente gelu iterum excepit acre, ad 25 horæ minuta durans,

rans, quo pulſo celer a calore ad ſudorem tranſitus fuit, ſub cujus eruptione aliqualis ſymptomatum remiſſio ipſeque ſomnus ſecutus. Excreta iterum eſt ſub hoc paroxysmo, partim tuſſiendo, partim ſcreatu inſignis tetri putridiſſimique puris copia, quæ totam pulmonum ſubſtantiam ſic implere videbatur, ut ſuffocationem ægro minaretur, finiente vero paroxysmo ne veſtigium quidem hærentis vel tantilli puris in pulmonibus reſtabat; potius liberrima fuit reſpiratio, tuſſis nulla, ſcreatus nullus, nullusque omni-

no



no pectoris vel dolor, vel angustia. Lotium frigore transacto missum, ut ante, ictericum totum fuit, alvus autem, quamquam enemate lacessita, non respondit. Hora octava serotina pulsus iterum intermittere et turbari cœpit, cum anxietate notabili, respiratione laboriosa, pectorisque oppletione vix credibili, quibus tamen exhibitæ naphtæ vitrioli aliquot guttulæ brevi medebantur. Secutus est sudor non profusus quidem sed æquabilis, per bihorium durans, sub quo in semitam suam rediit sensim pulsus. Nox

ipsa

ipſa maximam partem inſomnis iterum ducta, ſi brevem, qui ſub diluculum acceſſit, ſomnum exceperis. Horis *diei vigeſimæ nonæ* matutinis pulſus celer fuit et frequens, hinc potiunculam ſuam antiphlogiſticam acidulatam repetiit; decrevit autem jam decima rurſus hora pulſus quam maxime, redieruntque anxietates, quas æſtus brevi ſecutus eſt vehemens, cum pulſu celerrimo, parvo, intermittente, turbatiſſimo, mentiſque alienatione, quæ ad tertiam usque pomeridianam perſtitit, quum jam tuſſis iterum

mole-



molestissima prodiret, mediante qua tam enormis corruptissimi graveolentissimique puris excernebatur copia, ut singula ne quidem verba proferendi superfuerit misero facultas. Sudor deinde erumpens efferam hanc symptomatum ferociam nonnihil repressit secutusque est somnus placidus et reficiens. Nox solito tranquillior fuit, recurrentibus tamen hora tertia matutina *trigesimæ diei* motibus febrilibus. Frigus leve erat, solumque interiora pervasit, æstus quoque observabatur minor; excreta tamen iterum

eſt materiæ purulentæ olidiſſimæ ſtupenda quantitas. Alvum a biduo ſiccam, fruſtra adhibito ad hunc finem potu tamarindinato, injectum enema aperuit. Hora poſt meridiem quinta febris nova exarſit, prioribus fortior. Opplebatur mire pectus a materia putrida, fœtidiſſima, quam ob virium defectum jam non niſi difficillime excrevit. Pulſus ſimul maximopere intermiſit ſummæque præcordia preſſerunt anxietates. Tandem æſtus ſequebatur, pulſuum ataxia comitatus, qui ad ſeptimam usque vesperti-

nam



nam durabat, quum ſudor exprimeretur unctuoſus, gelidus, manente reſpiratione admodum anhela. Rauca poſt hunc paroxysmum facta vox eſt, ærumnoſaque deglutitio. Defecerunt quam maxime vires, neque tota nocte rediit in ordinem pulſus. Qui ſubſequebatur interdum ſomnus, turbulentus omnino erat mentisque alienationibus interpolatus. Creſcebat ſub diluculum pectoris anguſtia et anxietas ominoſa, nataque eſt ex improviſo continua vana et inanis ſpiritum vix non omnino

inter-

intercludens tuſſiculatio. Vitalem auram inhians incaſſum ſe aperitabat improbo labore pectus. Ardebant incendio præcordia, potumque, quem ad reſtinguendam, quæ maxime urebat, ſitim, efflagitabat, recluſit neſcium aperiri guttur. Obruebat aëreos pulmonum folliculos ſæpe jam memorata, ſub febrium paroxyſmis huc delata materia putridiſſima, oppreſſiones creans impoſſibiles fando. Turbulenti ſub cavis orbitis rotabant et pulverulenti oculi, fruſtra circumſpicientes auxilia, anxiusque miſer



tendebat in adjumentum circumſtantibus manus. Siluit ad tantum periculum pulſus, ſuique officii immemor palpitabat cor. Reditum quidem aliquoties tentabat tremens in carpo arteria, ſed vano nixu. Exhibita interim guttatim interne analeptica applicataque externe fugientem revocavere ad tempus animam, evacuabatur lente incredibilis corruptiſſimi puris copia, ad libras usque, ſicque per varia rerum discrimina et hoc nycthemeron tranſiit; donec tandem, creſcentibus ſub vesperam et ſuperanti-

bus



bus ægri vires symptomatibus, succubuerit circa mediam noctem suffocatus a delato ad pulmones pure ægrotus. Hic exitus fuit lascivientis in viro hoc pertinacissimi morbi, cujus causam in cadavere rimari, roganti non licuit.

Epicrisin addidi nullam, quum patere hanc ex ante dictis sufficienter credam, nullaque hujus morbi historia scopo præfixo jam sufficiat et datæ sponsioni.



Emendanda

Pag 39. lin. 2. atmosphæram. p. 64. l. 9. mansit. p. 88. l. 9. ægrotantium. p. 89. l. 8. solus. p. 97. l. 11. duplici. p. 104. l. 5. depascens. p. 112. l. 12. habita. l. 13. cystitidem. p. 138. l. 1. symptomata. l. 8. Mackittrick. p. 139. l. 8. præsentissimum. p. 147. l. 9. constet. p. 178. l. 7. laborantem. p. 215. l. 8. deleatur *hujus*. p. 222. l. 6. morbo adhibita. p. 236. l. 4. consultationibus. p. 240. l. 2. hic. p. 242. l. 6. Amstelodamensis. p. 255. l. 1. differre. p. 276. l. 3. extremæ. p. 330. l. 3. perillustris. p. 331. l. 7. amicis. p. 332. l. 12. irritos. p. 338. l. 7. profunde. p. 373. l. 9. interne. p. 384. l. 5. hora. p. 390. l. 13. totamque.



